



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis

**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio XXV. De Jure quod Jesus Christus acquisivit super nos, deque  
diversis titulis, quos gerit respectu nostri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**

Sed eodem tempore haurimus e thesauro divinarum satisfactionum ejus, eâ ratione, quam modo explanavimus loquentes de Corpore mystico Jesu Christi; & esse poterit, quod plures sanctæ animæ ex illo acquisiverint sibi plus, quam indigeant ad satisfaciendum cunctis pœnis, quæ suis debentur peccatis. Quod superabundat, manet in thesauro spiritali Ecclesiæ, qui propterea compositus esse dicitur ex satisfactionibus Jesu Christi & Sanc-

torum; & exinde hauriuntur indulgentiæ, quæ aliud non sunt, quam solutio omnium pœnarum, quæ debemus justitiæ Dei pro peccatis nostris, Papa, qui velut caput visibile totius Ecclesiæ, est dispensator omnium ipsius thesaurorum spiritalium, concedit nobis indulgentias vel plenarias, vel limitatas, prout expediens judicaverit secundum Deum. Sufficit de hoc argumento.

## CONSULTATIO XXV.

*De Jure, quod Jesus Christus acquisivit super nos, deque Diversis Titulis, quos gerit respectu nostri.*

Toti sumus  
Jesu Christi  
ob magnas  
tres obligaciones,

**G**randis erat fiducia, juxta opinionem S. Bernardi, quando S. Petrus Apostolorum Princeps, loquens nomine aliorum omnium, dicebat Jesu Christo: Ecce reliquimus omnia, quid ergo erit nobis; omnia reliquimus, ut sequeremur te, quid ergo dabis nobis proemii? Itane? loquimini de premio, quasi divinus Magister vester obligatus foret vobis, quando nec minimam exhibuistis obligationis vestræ partem, quæ ipsi obstricti estis? An ignoratis, quod jura, quæ habet in vos, tam magna sint & ampla, ut nullo arctentur sine? Considerate illorum solummodo

tria, & cetera relinquit omnia.

Inprimis est Creator vester, ipse est, qui eduxit vos e profunda abyssu nihili, undè exiissetis nunquam absque ipso: Eratis nihil, & nihil merebamini, & ex sola sua bonitate vos fecit, quod estis, & quidquid habetis, dedit vobis; consequenter debetis ipsi omnia, & ipse nil debet vobis. Probè novi, totam adorandam Trinitatem esse, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, quæ dederit esse vobis per Omnipotentiam sibi communem; nihilominus verum est, quod Jesus Christus, qui secunda Persona est, contribuerit illuc, secundum nostrum intelligendi

Inprimis est  
Creator nos-

M m m m 3 mo-

Joan. I. dum, modo magis particulari, quam aliæ Personæ, ob duas rationes. Prima est, quod ipse sit Verbum, & Sacra Scriptura nobis dicit, quod Deus fecerit omnia per Verbum suum: *Omnia per ipsum facta sunt.* Secunda est, quod ipse sit imago in divinitate, & quando Deus voluit creare hominem dixit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.*

Cum ergo sit Creator vester, omnia recepistis ab eo, & quia omnia ab eo recepistis, debetis ipsi omnia. Si domus diceret Architecto: *Ego tibi servio, quâ ratione solves me?* Nonne responderet ipsi? Nullâ tibi obligatione teneor, quod servias mihi, ideò namque te feci, tu mea es, tu meum es opus, tu mihi debes omnia, & ego tibi debeo nihil. Jam nos infinitâ ratione magis debemus Creatori nostro, quam domus architecto; siquidem hæc non accepit ab ipso nisi formam suam, quæ non nisi mediætas est sui esse, & non materia, quæ est mediætas altera; & nos accepimus totum nostrum esse materiam & formam, Corpus & animam à Creatore nostro.

Et dein Architectus non est semper intentus domui suæ, ut cegitet de illâ, ut sustineat & conservet ipsam, ut portet ipsam in suis manibus; & Creator noster semper in nos suos figit oculos, ut aspiciat nos semper, cor suum

apponit erga nos, ut amet nos; semper manus suas porrigit nobis, ut conservet nobis esse, quod dedit nobis, & concurrat nobiscum ad omnia opera nostra. Nonne ergo jus habeat verius dicendi nobis, quam architectus domui suæ: *Nihil tibi debeo ex eo, quod mea sis, sed tu mihi debes ex eo, quod fecerim te pro me: sic quidquid facere poteris, nil tibi debeo proemii; tu namque es opus meum, & ego te feci, ut servias mihi.* Ecce primum jus, quod *Jesus Christus* habet in nos; hoc tam strictum, tamque essentialè est, ut amittere id non possit, nisi reducendo nos in nihilum.

Sed secundum, quod habet, est ipsi speciale, solam ipsius concernens Personam, quòdque longè pluris stetit ipsi. Ipse est Redemptor vester, id est, ipse redemit vos à servitute dæmonum, quibus peccatum vos vendiderat, sub quorum tyrannide fuissetis in æternum miseri, nisi ex ea vos liberasset. Si ad redimendum vos dedisset omnes thesauros mundi, si dedisset cælum & astra, mare ac terram, & elementa omnia, imò totum hunc mundum materialem, crederetis hoc magnum quid esse; sed revera hoc omne non est nisi palea, respectu ejus, quod dedit & solvit ad nos redimendum: siquidem sanguinem dedit & vitam Dei immortalis, quod

Quantum dependamus à nostro Creatore.

Secundò est Redemptor noster.

Non mus solv JESU quare solv bis.

quod est pretium infinitum. Judica, an merito ipsius sis, isque legitimus & arctum habeat jus te possidendi, & an unquam fuerit mancipium in mundo, quod tam absolute ad suum spectaverit Dominum. Et si mancipium postulare præsumeret retributionem à Domino pro servitiis illi præstitis, quid diceret ipsi?

Non possum tantum solvere pro Jesu Christo, quantum ipse solvit pro nobis.

Et quando etiam verum non esset, quod ipsius sis; tum quia creavit te ex nihilo, tum quia redemit te tam caro, an petere auderes ab eo: Domine, reliquimus omnia, ut sequeremur te, quid dabis nobis proemii? Ah! quid reliquisti pro me, responderet tibi, respectu ejus, quod dedi & solvi pro te, quando me exspoliavi cunctis splendoribus majestatis meæ, descendens è cælo in terram, ut quærerem te meque darem tibi? sed, Domine, abstraxi me ab omni alio occupationum, cogitationum & affectuum genere, ut me unice tuo consecrarem servitio: scilicet, si verum est; pauci enim sunt, qui non nisi huic soli & continuæ occupationi intendant. Sed quando etiam verum esset, quid foret respectu ejus, quod feci pro te, cum nec unicam solam habuerim cogitationem in meo animo, nec unicum pronuntiaverim Verbum, nec unicum fecerim in terra gressum, nec unicum molitus fuerim opus, quod non impen-

derim ad operandum salutem tuam? Verum, Domine, laboravi, passus fui, sustinui ex amore tui. Compara labores tuos cum meis, & dolores tuos cum eis, quos toleravi, & illos allegare pudebit te; nec interrogabis amplius, quid proemii retribuam tibi. An ego tibi sim debitor? Nonne plus æquo solutus es? Ecce secundum jus, quod Jesus Christus acquisivit in nos.

Insuper tertium adhuc habet <sup>Tertio est</sup> jus, arctius cæteris omnibus, & noster finis <sup>ultimus,</sup> est, quod sit noster finis ultimus, beatitudo nostra, & summum bonum nostrum, pro quo creati sumus. Quid debeat is nobis, si reliquerimus omnia pro ipso? cætera omnia nobis sunt inutilia. Quâ obligatione tenebitur nobis, si omnia fecerimus pro ipso? amittimus omnia, quæ facimus pro quovis alio fine: Non est ipsius commodum, est nostrum. Non devincimus ipsum nobis, quando nos unice devovemus ipsi ad breve vitæ præsentis momentum, ut perpetuo possideamus ipsum in cælo; ipse potius nos summe devincit, dum insignem hanc nobis exhibet misericordiam. Aspicienda sunt nobis parvula nostra servitia, velut proemia maxima, cum hæc sint semina æternitatis beatæ, quæ seminare nunquam possemus, nisi maximo hoc nos insigniret honore, admittendo nos in numerum servitorum suorum.

Ve-

Assequi non  
possumus  
nostrum fi-  
nem ultimam,  
nisi per JE-  
sum Chris-  
tum.

Verum quidem est, omnes tres, divinas Personas, objectum esse nostræ beatitudinis; sed non nisi per Jesum Christum sperare possumus, fructuros nos in æternam ipsarum visione beatâ. Nemo venire potest ad Patrem, nisi per illum, quia aliud non est nomen sub cælo datum hominibus, in quo sperare possimus salutem, nisi unicus hic Salvator mundi, Redemptor animarum. Hæc sunt jura cunctipotentia & irrefragabilia, quæ Jesus Christus habet in nos & in omnes homines; impossibile est, vel unico ex his obniti, illudque exponere disceptationi. Jam unicum sufficeret, ad obstringendum indispenfabiliter nos omnes, ut unice serviamus ipsi. Sed quando omnia tria concurrunt simul, ô Deus, quis comprehendere possit obligationum nos devoventium Jesu Christo robur, magnitudinem, amplitudinem? Quis diffitebitur, illas transcendere captum nostrum, seque extendere in infinitum?

Nullum nobis est jus petendi à Deo retributionem.

O si anima serio, maturè & profundè perpenderet tam solidas hæc veritates, tamque essentielles ac fundamentales Religionis suæ Christianæ, illique Deus vel tenuem communicaret illarum cognitionem; quid fieret cum ipsa? an judicaret, se unquam satisfacere posse obligationum suarum minimæ? an mereri præsu-

meret magna proemia, quando reddidisset Jesu Christo omnia obsequia, quæ reddiderunt ipsi omnes sancti Ecclesiæ Confessores ab Incarnatione Domini; & quando sustinuerunt ipsa sola, quidquid sustinuerunt omnes sancti Martyres per univèrsa sæcula? O quam benè intelligeret ipsa veritatem effati illius Evangelici à Redemptore suo prolati, quamque sincerè diceret ex intimo cordis sui! *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus.* Sed eheu! nondum satisfecissemus millesimæ parti debitorum nostrorum: longè igitur ab sumus ab eo, ut mereamur aliquam retributionem.

Et nihilominus, ô bonitas infinita Jesu Christi! tanti æstimat minima nostra servitia, ut non minores, quàm æternas promittat ipsis retributiones. Est fidelis in promissis suis, aliàs Deus non esset; est Omnipotens ad dandum nobis, quod promissit, aliàs fidelis non esset; habet ad hoc præstandum voluntatem sinceram & veram, aliàs id non promitteret. Tam certi igitur sumus, nos recepturos proemia æterna pro parvis servitiis, quæ præsterimus ipsi per aliqua vitæ presentis momenta, ac si jam teneremus illa. Ipse tam benevolens se exhibet us, qui privaverint se re aliquâ amore sui, & adhuc magis illis, qui

Lnc. 17. v. 11

Deus tanta est bonitas, ut recompetet minima nostra servitia.

Pa-  
liq-  
na-  
fua  
qu  
fur  
flu

qui reliquerint omnia ad complectendam ipsius sequelam, ut promittat illis centuplum etiam in vita presentis; id est, quod qui reliquerit omnia pro ipso solo, ipse solus sit ipsis futurus omnia: sed hoc erit centuplum, id est, modo tam lucroso ac utili, ut centies superaturum sit omnia, quæcunque reliquerint.

Non sufficit dixisse hæc in communi: sed oportet speciatim horum facere demonstratio-

nem luculentam ac palpabilem. Nihil mihi tam congruum videtur ad attrahendum omnes animas ad Jesum Christum; nihil mihi ita videtur efficax ad inferendum amorem ipsius cordi; nihil esse potest fortius ad obstringendum illas inseparabiliter ipsius servitio, veluti catenis aureis, quæ tam pretiosæ tamque amabiles sunt, ut illas disrupturæ nunquam sint in æternum.

## ARGUMENTUM.

*Jesus Christus est Pater noster & frater noster. Maximus honor, quem recipimus è divina ipsius cognatione.*

### ARTICULUS I.

Parum est, reliquisse cognationem suam, ad sequendum Jesum Christum.

**Q**uid reliquisti, ut sequeris Jesum Christum? reliqui Patrem, Matrem, fratres, sorores, omnem meam cognationem, quæ copiosa erat, & è quâ sperare poteram magna lucra, multa solatia. Non indago, qualem reliqueris Patrem, an fuerit admodum nobilis, vel abjectæ conditionis; an ardenti vel languido profecutus te fuerit amore; an reliquisset te pauperem, vel pinguem tibi servasset hæreditatem. Nullâ refert, suppono ipsum fuisse nobilissimum omnium Patrum, fuisse Principem, Monarcham; suppono ipsum fuisse ditissimum omnium in mundo, optimum, amabilissimum, perfectissimum genitorum omni-

um, qui fuerunt unquam in terris; vel suppono, ipsum habuisse conditiones omninò contrarias. Haud interest; sufficit, te reliquisse ipsum, ut sequeris Jesum Christum; sufficit, voluisse te amore ipsius solius te privare Patre & Matre, & totâ cognatione tua. Equum est, ut ipse solus sit tibi hæc omnia, utque ipse tibi det centuplum, id est, tibi reddat centies plura, quàm reliqueris pro ipso: is namque hoc promittit, & fidelis est in promissis suis.

O quàm longè alio locupletaris ex hoc cognationis genere, incomparabiliter nobilioris, amplioris, ditioris, potentioris amabilioris, quod illicò oblivisci te

Nnnnn

faciet

Felicitas  
magna Atha-  
nais.

faciet populum tuum & domum Patris tui, quodque accumulabit te honore, gaudio, felicitate, si tuam æstimare nôris beatitudinem. Athanais, tu non eras nisi filia simplicis Philosophi, persecutione oppressa à fratribus tuis, exspoliata abs illis hæreditate tuâ, quando accedebas prostratum te ad pedes Imperatoris Theodosii, postulatura ab eo justitiam. Quam auspicatus hic tibi casus, dum è statu tam misero sublata es ad solium imperii jurantis universo mundo! Cor tuum, quod capere non poterat omnem hanc felicitatis tuæ abundantiam, an meminerat adhuc domûs Patris tui, vel disceptationis cum fratribus tuis!

Quàm gloriosam cognationem acquiramus, quando sumus Jesu Christi.

Sed ecce hic longè aliam felicitatis sortem, gloriam longè splendidior pro te, qui reliquisti Patrem & Matrem, & totam cognationem tuam, ut sequerere Christum Jesum. Habebis pro Patre, Deum Patrem Omnipotentem, summum entium omnium Monarcham, eris verè ipse filius: habebis pro fratre tuo Primogenitum Filium unicum Patris æterni, cujus eris filius cum ipso, & nuncupabit is te fratrem suum. Omnes sancti, qui regnant in cœlo, quique æternitatis sunt reges, verè sunt fratres tui; & omnes Sanctæ, quæ regnant cum ipsis velut Imperatrices in regno Dei, verè & propriæ sunt sorores

tuæ; & ex his omnibus tua componitur cognatio; dico, vera cognatio, quæ magis conjuncta est tibi, quàm fratres tui, quàm sorores tuæ secundum naturam; siquidem tota conjunctio, quam ipsi habent tecum, non fundatur nisi in sanguine naturali, qui non est quid magni; sed nobilis hæc & magna cognatio, quam acquiris, fundatur in sanguine adorando Filii Dei, qui infinitâ ratione nobilior est, quique absque comparatione fortiolem constituit conjunctionem. Et pro culmine felicitatis tuæ & honoris tui, omnes beati Angeli sunt affines & intimi amici tui, eòquod conjuncti sint tibi eadem charitate sanctâ, quâ æternaliter junguntur Deo & omnibus Sanctis. Et ecce tibi statum, in quo versaris.

Impossibile foret, videre animam unico intuitu omnes has excellentias, quin tota maneret attonita, tota hebes & stupida, tota offusa & oppressa à splendoribus hujus Majestatis. Itane, Pater æternus, Pater meus? Itane, Filius ipsius Unigenitus, frater meus? Itane, omnes Sancti, tot millionum milliones Sanctorum, omnes fratres mei? Et totidem millionum milliones Sanctarum; Ecce omnes sorores meæ, resurgentes gloriâ! Et innumeræ Legiones beatorum Angelorum? Ecce hi omnes affines

Consideratio  
circa gloriosam cognationem Christiani.

fines & amici mei. Et tota hæc ingens felicitas mihi oritur ex eo, quod fruar honore, ut sim Jesu Christi. Obmutescimus, & animus absorbetur vastâ hæc excellentiarum amplitudine, quam capere non potest. O si magnas has & admirabiles veritates vel leviter tantum caperemus, si crederemus illas firmiter, si verè persuasas haberemus illas animo, quid evaderet anima Christiana, quidve esset ipsa?

Sed perpaucos videre est Christianos, qui cordi habeant nobilitatem divinæ suæ natiuitatis ad vitam Christianam, quique æstimant veram hanc gloriam, quam æstimare deberent, aspiciendo se honoratos cognatione tam nobili, tam amplâ, tamque splendida, tantam evibrante Majestatem, quorum si aliqui inveniendi forent, circumferentes æstimationem hanc verè insculptam animo, nescio ubi quærere deberem illos. Eheu! de hoc ne quidem ulla admittitur in mente cogitatio; innumeri sunt, qui nunquam id ponderârunt, quique totâ vitâ suâ nec minimam fecerunt desuper reflexionem; si fortuitus quandoque hæc super re incidat sermo, audies plerumque omnes mundi affectas, veluti totidem cæcos musitare & oscitanter dicere: Spiritua- lia hæc sunt, mystica sunt; jux-

ta opinionem suam dicere volentes, nihil ea esse, nisi puram imaginationem.

O ignorantia! ô deploranda stupiditas! Omnia, quæ sunt mundi, cuncta corporalia, sensibilia, materialia, naturalia, non sunt nisi puræ imaginationes respectu magnarum harum veritatum; cognatio vestra naturalis non est nisi chimæra, in comparationem adducta cum hac spirituali: illa namque, quam cernis oculis tuis corporeis, cuique tantam firmitatem affingis, evanescit in morem umbræ, & non perdurat nisi per pauca vitæ præsentis momenta, & altera æterna est, duratura tam diu, quam diu Deus. Non est verum longo tempore, te habere hic in terris patrem, matrem, fratres, sorores, cognationem; & cujuscunque nobilitaris aut splendoris habere illam possis; paucos intra annos reducuntur hæc omnia in nihilum. Sed verum est in æternum, quod Deus sit Pater tuus, quod Jesus Christus natu major sit frater tuus, quod omnes Sancti, omnesque Sanctæ sint fratres tui & sorores tuæ, quodque simul permansuri sitis in fortunatissimâ hæc familiâ in omnem æternitatem, nunquam amplius ab invicem separandi. Non est igitur cognatio hæc imaginatio; sed illa vitæ præsentis nonnisi imaginatio est,

Nnnnn 2 & vel-



& velut somnium noctis, quod præterit.

Quomodo  
verum sit,  
Jesum Chris-  
tum esse ve-  
rum Patrem  
nostrum.

Tolerandum adhuc foret. in infideli vel Atheo, si non cognosceret alium Patrem, quam illum, à quo accepit corpus hoc carneum, quod circumfert, quòdque parum ab simile est corpori bestiarum; nec alios cognatos aut propinquos, nisi illos, quos oculis suis intuetur corporeis. Sed in te, qui Christianus es, quàm ratione hoc sit tolerandum? An ignoras, quòd, postquam natus es e sinu matris tuæ naturalis, velut abortus naturæ per peccatum depravatæ, circumferens mortem in anima tua per peccatum originale, secundâ vice sis natus per sanctum Baptismum? quam vitam recepisti per secundam hanc Nativitatem? Nonnè hæc est vita divina? Nonnè natus es verus filius Dei, & natus ex Deo, sicut loquitur Sacra Scriptura: *Sed ex Deo nati sunt.* Et ille, qui dedit tibi veram hanc vitam, & nativitatem hanc tam nobilem, nonnè verè est pater tuus! Estnè hæc imaginatio? Nonnè reipsâ accipit vitam divinam, quæ tibi datur per gratiam sanctificantem & per quam evadis filius Dei, tibi que acquiris tam legitimum jus ad possessionem bonorum Patris tui cœlestis, ut si moriaris in instanti post Baptismum, nemo dubitet, quin adeas quantocyùs possessionem regni

Joan. I.

cœlorum? Verissimum igitur est, quòd sis natus filius Dei, quòdque Deus verus sit Pater tuus. Dicendum igitur non est, paternitatem hanc, & filiationem hanc spirituales esse & mysticam, intelligendo, juxta mentem ignorantis vulgi, eam esse nonnisi puram imaginationem; infinitâ enim ratione magis verum est, Deum esse Patrem tuum, tēque esse filium Dei, quàm verum sit, Patrem tuum naturalem esse Patrem tuum, tēque esse filium ipsius: Siquidem in instanti, quo moreris, non est amplius Pater tuus, & tu amplius non es ipsius filius; sed in æternum Deus est Pater tuus, & tu verus es ipsius filius, possidens bona ipsius in æternum.

Verum quidem est, te natum non esse filium Dei, ex propria substantiâ Dei, sicut Filius ipsius Unigenitus, qui est in sinu ejus, quemque producit ab æterno, communicando ipsi totam substantiam suam divinam; sed nēque es Filius Dei per simplicem quamdam denominationem externam. Vide te, exclamat dilectus Domini nostri discipulus, totus abreptus gaudio & admiratione ex aspectu nimix bonitatis Dei erga nos: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur & simus.* Ne credatis, nos non esse filios ipsius adoptivos, nisi per sim-

Nos non nascimur ex substantiâ Dei,

1. Joan. 3.

simplicem denominationem extrinsecam, eâ ratione, quâ aliquis homo adoptat quemquam in suum filium, quod non consistit, nisi in quibusdam verbis, quæ profert, vel in quibusdam lineis, quas scribit, quæ nihil addunt personæ, quam adoptat, unde vel melior fiat, vel deterior.

Sed quando Deus nos suos nasci facit filios, id facit, effundendô è sinu suo quasi usque in essentiam animæ nostræ gratiam sanctificantem, quæ est ens quoddam positivum, & qualitas tam divina, ut in instanti totum mutet statum & conditionem animæ nostræ. Ipsa hanc elevat in dignitate super universam naturam, illa transformat ipsam, & ratione quâdam reddit divinam, transportando eam à vilitate suâ naturali usque in sinum Dei. Ipsa, unico verbo, hanc facit tam similem Deo, ut, qui videret ipsam in mirificâ hâc pulchritudine, quam recipit à gratiâ se sanctificante, seque faciente filium Dei, haberetur ab eo pro ipso Deo. Declaratio sancti Thomæ, ut aliquam nobis ostendat magnæ hujus veritatis idæam, est admirabilis. Vides, dicit, ferrum accensum in fornace, & caperes id pro igne ipso, qui que non vidisset ferrum & ignem separata ab invicem, non crederet unquam, ipsa duas esse res, tam sunt inter se unita. Sic, cum anima tota sit

reddita divina per gratiam sanctificantem, diceretur, illam esse ipsum Deum; & hâc ratione nos suos nasci facit filios. Non igitur hoc fit per simplicem adoptionem externam & sterilem, quæ nil collocat in persona, quæ adoptatur.

Est hoc nimis parum adhuc ad demonstrandum nobis magnitudinem felicitatis nostræ, nobisque persuadendum, quod verum sit, nos nasci filios Dei. Audi Sacram Scripturam loquentem de hoc verbis inusitatis, quæ non nisi Spiritus Sanctus potuit invenire: *Semen Dei in eo 1. Joan. 3. manet.* Dicit, quod semen Dei v. 9. maneat in filiis Dei. Semen frumenti producit frumentum, semen arborum producit arbores, semen hominis producit hominem; & quid ergo producere potest semen Dei, nisi Deum?

Non advertis differentiam tam manifestam inter filios Dei & reliqua entia, in hoc, quod concernit ipsorum nativitatem? Quando Deus producit omnes alias creaturas, nihil sui ipsius collocat in ipsas; non nisi loquitur, & omnia sunt facta: *Ipsè dixit, & facta sunt.* Verum ut nasci faciat filios suos, divinum suum immittit ipsis semen, quod est gratia sanctificans. Verum est, hanc gratiam non esse propriam ipsius substantiam divinam; & tamen aliquid ex ipso; aliâs sanctus

Nnnnn 3 tus

Quam gloriosum sit nobis esse filios Dei per ipsius gratiam.

Joan. 3. v. 9. Christianus est filius Dei, productus è femine Dei.

Psal. 14.

2. Pet. 1.  
v. 4.

tus Petrus non diceret, quòd per illam *efficiamur divina consortes natura.* Videtur ipsa esse aliquid plus, quàm simplex creatura: unde enim venit hæc gratia sanctificans! éstne extracta è nihilo, sicut cætera entia creata? Non; trahit ipsa originem suam à divinitate & sanctâ Humanitate Jesu Christi simul unitis, & conferentibus utrisque suum ad producendum magnum hoc opus ambarum; siquidem nec divinitas sola, nec humanitas sola efficere id posset; sed est fructus ambarum naturarum simul unitarum, Divinæ & Humanæ, componentium Deum - Hominem & Hominem - Deum; & hunc Hominem - Deum totum contritum tormentis, totum perforatum plagis, & denique maximâ compressum & oppresum violentiâ sub torculari Crucis. Ecce pretiosum liquorem, quem nobis exprimit ex toto se ipso, gratiam sanctificantem, quæ est velut quinta essentia Divinitatis annihilatæ in humanitate, & humanitatis absorptæ in Divinitate. Ecce quid sanctus Joannes nuncupet semen Dei; & hoc est, quod producit & nasci facit omnes filios Dei.

Vides, quòd in vanum non sit, esse te filium Dei? Vides, genuit nos in Patrem tuum divinum, non genuisse te absque dolore, sed mortuum esse ex doloribus par-

Jesus Christus  
genuit nos in  
Cruce cum  
dolore.

tus sui? Vides, eodem tempore, quo es filius Dei, esse te etiam filium Crucis, & amare debere filium Patrem suum, & Matrem suam? Vides, perdere debuisse Deum - Hominem vitam suam humanam, ut daret tibi vitam suam divinam? Vides, ad extollendum te ad hoc culmen gloriæ, ut verè esses filius Dei & æternus hæres regnorum ejus, ipsum se demisisse usque ad profundam tui nihili abyssum? Si capere non potes sublimitatem dignitatis tuæ, dum dicitur tibi, esse te verè filium Dei: aspice profundam veri Filii Dei annihilationem, in quam demisit se ex amore tui, & considera, quid talis humiliationis excessus in Majestate infinitâ potuerit producere.

Audi discursum egregium, quem hæc super re fecit Doctorum sublimissimus tractatu secundo in Joannem. *Noli ergò s, Augustinus mirari, ò homo, quia efficeris filius per tract. 2. in gratiam, quia nasceris ex Deo secundum Verbum ejus. Prius ipsum Verbum voluit nasci ex homine, ut tu securus nascereris ex Deo, & diceres tibi: Non sine causâ Deus nasci ex homine voluit, nisi quia alicujus momenti me existimavit, ut immortaliter me faceret, & pro me mortaliter nasceretur. Idèd cum dixisset: ex Deo nati sunt; quasi ne miraremur, & exhorreremus tantam gratiam, & nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo*

Deo

Jesu  
tam  
nost  
quæ  
nost

Deo nati sunt: quasi securum te faciens ait: Et VERBUM Caro factum est, & habitavit in nobis. Quid ergo miraris, quia homines ex Deo nascuntur? Attende ipsum Deum natum ex hominibus. Videmus quòd in Evangelio JESUS Christus ubique nominari velit filius hominis, quòdque singulari curâ nos instruat, ut intueamur nos velut filios Dei, in eximiâ illâ oratione, quam ipsemet nos edocuit. Quando oratis, dicite: Pater noster, qui es in cælis; Et alibi majorem adhuc nobis addit animum, & nos Deos appellat, scilicet per participationem, & filios magni Dei, citatque expressè illa psalmi octogésimi primi verba: Nonne scriptum est in lege vestrà: Ego dixi, Dii estis.

Joan. 10.

Ecce igitur originem felicitatis tuæ: Tu verè es filius Dei, & Deus est Pater tuus cœlestis, quando adoptatus es per gratiam sanctificantem, dubitare de eo non potes. Habes ergò cognationem realem & proximam cum tribus Personis adorandæ Trinitatis, JESUS Christus ergò, qui est Pater tuus secundum Divinitatem suam, est etiam frater tuus secundum Humanitatem suam. Sanctus Paulus vocat ipsum fratrem tuum natu majorem: *Primogenitus in multis fratribus*; non solummodo, quia ipse est homo, sicut tu, & primus ac præcipuus hominum, ex cujus

Rom. 8.

amore facere Deus voluit ceteros; sed etiam, quia ipse adoptatus est filius Dei, sicut tu, quamvis ratione infinito modo nobiliori, quàm tu. Vide, quid dictum sit supra in Consultatione Decimâ octavâ, articulo primo; & ipsemet nos hoc insignit honore, ut incessanter nos nuncupet fratres suos in Evangelio. Et quia omnes ii, qui filii sunt ejusdem Patris, verè sunt fratres, sequitur ex hoc, omnes Sanctos esse fratres tuos, omnesque Sanctas esse sorores tuas, eòquòd cuncti & cunctæ nascantur ex Deo per gratiam sanctificantem sicuti tu.

O Deus! quàm admiranda cognatio! quàm est nobilis! quàm est ampla! & quantâ te insignit gloriâ, quæ omnem mundi transcendit gloriam! Quid sentit, quando hoc perpendit, cor tuum? Videmus, nil ita animare cor alicujus filii, quàm quando prodiisse se videt ex illustrissima prosapia, quando coronatos recenset vertices inter majores suos, quando circumseptum se videt cognatione numerosissimâ, quæ non nisi constet è Principibus & Magnatibus; nil ruminatur ipse mente suâ, nisi consilia magna, nil sperat, ad nil aspirat, nisi ad grandia, nisi ad ardua; mori mallet, quàm se demittere ad moliendum, quid vile, ad amplectendum, quod

gustinus  
2. insuadeat  
quòd  
sit ve-  
ris Dei,  
Dei ve-  
tus est  
homi-JESUS Christus  
tam verè est  
noster frater,  
quàm verè est  
noster Pater.

Ignavia Christi-  
fiani dege-  
nerantis à no-  
bilitate cog-  
nationis suæ.

quod plebem amplecti videt  
abjectam. Ah! Christiane, ubi  
est cor tuum? Non consideras  
prosapiam tuam infinitâ ratione  
illustriorem esse prosapiâ ipsius,  
cognitionem tuam nobiliorem,  
& modis omnibus absque com-  
paratione ampliorem? siqui-  
dem quærat ipse majores suos,  
inveniet ipsos in pulvere, aspi-  
ciet aliquod fragmentum mar-  
moris, quo tegantur ossa ipso-  
rum, statuam aliquam ploran-  
tem, lacrymas quasdam siccas  
& duras tumulis ipsorum insculp-  
tas, omnia hic funesta sunt, de-  
specta & abjecta. Verùm intue-  
re gloriam propinquorum tuo-  
rum, qui exponuntur in aris,  
pretiosas Sanctorum & Sancta-  
rum reliquias, quæ conservantur  
in Lipsano thecis argenteis & au-  
reis, pretiosisque lapidibus exor-  
natis; adolentur ipsis thura, ip-  
sorumque incessanter in Panc-  
gyricis renovatur memoria. Ec-  
cè fratres tuos & sorores tuas;  
& animam habeas tam ignavam  
& vecordem, cùm tali prognat-  
us sis familiâ, ut non aspires, si-  
cut ipsi & ipsæ, ad coronas per-  
petuas? Et non te pudeat vitam  
ducere carnalem ac animaleam,  
quæ accenseat te gregibus bes-  
tiarum?

Sed perpende tecum & agnosce,  
cui debeas filiationem tuam

divinam & cognationem tuam  
adeò illustrem. Nonne Jesu  
Christo soli? Nonnisi, qui ipsius  
sunt, fruuntur magnâ hæc felici-  
tate. Omnes infideles nullam hæc  
habent, nec obtinent partem:  
ô quam sunt miseri, quod igno-  
rent Jesum Christum, quod non  
sequantur ipsum, quod non uni-  
cè ipsius se devoteant servitio!  
si cognoscerent inæstimabilem,  
quam possidemus, felicitatem,  
non esset inter eos, qui esse non  
mallet Christianorum novissi-  
mus in totâ Ecclesia, quam possi-  
dere solus omnes omnium Re-  
gum terræ coronas, exspoliatus  
permanendo gloriâ, quâ liceat  
ipsi esse Jesu Christi.

Veni modò, & interroga Jesum  
Christum: Domine, reliquimus  
omnia, ut sequeremur te; Reli-  
qui Patrem meum, & Matrem  
meam, & omnem cognationem  
meam, ut devoverem me tibi;  
quid ergò mihi dabis proemii?  
Nonne responderet tibi: Fili mi,  
vide quid acceperis à me; & per  
me, quem alium Patrem, quam-  
ve aliam cognationem; & fate-  
beris, te non solum recepisse cen-  
tuplum, sed millionum millio-  
nes centupli. Nihilominus hæc  
nondum omnia sunt, attende,  
quæ consequantur ex hoc,  
& hæc sunt mirabi-  
lia.

Debemus  
omnem nos-  
tram felicitatem  
Jesu  
Christo.

ARGU-

## ARGUMENTUM.

*Jesus Christus est nostra hereditas, & nobis utilior est ipse solus, quàm si totum possideremus mundum.*

## ARTICULUS II.

Relinquendo omnia ad sequendum Jesum Christum relinquitur nihil.

QUI verè renuntiat ità omnibus creaturis, ut non habeat nisi Jesum Christum solum, non debet illi dicere: Domine, reliquimus omnia, & secuti sumus te. Sed prorsus ex adverso pura adstipulabitur veritati, si fateatur: Domine, nihil reliquimus, & invenimus omnia, sequendo te. Siquidem verum est, totum & integrum mundum non esse, nisi purum nihil; quòdque is fiat reipsa purum nihil pro nobis in puncto mortis; & Jesus Christus solus in æternum nos ità manet, ut ipse solus in perpetuum nobis sit omnia. Nemo non fateri cogitur hanc veritatem; sed non omnes hinc vident hanc aliam, quæ admirabilis est, quòd etiam in hac vita relinquere omnia absque exceptione, ut adhæreatur unicè Jesu Christo, & nihil aliud possidere in terris, nisi ipsum solum, non sit quidquam amittere, sed infinità ratione lucrari, eòquòd ipse solus nobis sit omnia.

Exspoliatio admirabilis S. Francisci,

Quando sanctus Franciscus, quem Jesus Christus convertit ad se, ut in Persona ipsius totum suum Evangelium redderet visibile oculis mortalium, in princi-

pio conversionis suæ persecutionem sustinuit à Patre suo, retrahere volente ipsum à vocationis suæ gratia; quando renuntiavit tam generosè omnibus, quod prætere & postulare is poterat à se prostrato ad pedes Episcopi Assisiatis, dum exspoliavit semetipsum omnibus vestimentis suis, usque ad subuculam, reddens omnia indigno huic Patri, & magno cum spiritus fervore dicens: Nullum ergò amplius habeo patrem in terris, nullam cognationem, nullam hereditatem, nullam domum, nullum vestimentum, nihil ex omnibus creatis: Tu, ô mi amabilissime Jesu, tu solus es, qui es Pater meus, & cognatio mea, & hereditas mea, & domus mea, & omne bonum meum; nil volo nisi te solum, & tu solus es mihi omnia: *Deus meus & omnia.* Qui judicassent de rebus juxta sensum & solum lumen naturale, dixissent, ipsum perdidisse omnia, ipsumque subirò redactum eò, ut vivere jam debeat absque honore, absque bonis, absque ulla consolatione vitæ humanæ. Ità verum est, ipsum reliquisse hæc omnia, sed habebat

Ooooo

Jesum

JESUM Christum, qui solus ipsi hæc omnia erat ratione quâdam, quæ longè superet & transcendat centuplum.

Videte, ô homines, & propriis vestris addiscite experimentis. Franciscus vult esse absque honore & in maximo contemptu hominum, ut sequatur JESUM Christum; & JESUS Christus facit, ut magis honoretur ipse solus, quam omnes mundi Monarchæ. Franciscus vult esse absque bonis, & in summa expoliatione paupertatis, ut sequatur JESUM Christum; & JESUS Christus vult, ut ipse ditissimus sit hominum. Franciscus vult renuntiare omnibus consolationibus, seque exponere ad tolerandum omnes miseras vitæ humanæ, ut sequatur JESUM Christum; & JESUS Christus facit, ut nullus sit homo in terris, qui magis exemptus est à magnis mundi miseris, quique purioribus & magis innoxiiis fruatur consolationibus, quàm ipse. Hæc est manifestissima ipsius promissio in Evangelio: *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore, & in saculo futuro vitam æternam.*

Marci. IO.

Magnifica promissio Jesu Christi.

Quæris: ubi est igitur hic honor, & magna hæc gloria, ad quam is extulit S. Franciscum?

Nonne ipse inter pauperes est pauperrimus, hominûmque abjectissimus, qui nec hilum possideat ejus, quod mundi constituat magnificentiam? Ità, & in hoc ipso extollit illum Deus ad veræ fastigium magnificentiæ: adhuc in vita præsentis accipit ipsum, sicut accepit sanctissimam Humanitatem Filii sui Unigeniti, omnibus adorandam creaturis; privat ipsum subsistentiâ humanâ, & non relinquit ipsi nisi solam subsistentiam divinam. S. Joannes nuncupat divitias *substantiam*, vel subsistentiam *hujus mundi*, eòquod hæc sint, quæ totum sustentent, & subsistere faciant mundum. Jam S. Franciscus nihil habet hujus subsistentiæ humanæ: non igitur subsistit, nisi per solam subsistentiam divinam, admirabili cum imitatione sanctissimæ Humanitatis Salvatoris mundi.

Et series expoliationis hujus tam absolutæ ab omnibus bonis mundi, quâ incapacem omnino se reddit ad possidendum unquam aliquid creati, elevat ipsum ad sublimem imitationem Divinitatis ipsius, per quod cunctis admirabilis redditur hominibus. Siquidem in quo consistit suprema Dei magnificentia, nisi in eo, quod locupletari per nullam rem possit, nisi per propriam Divinitatem suam. Totus ac integer mundus, & centies mileni

Franciscus paupertate suâ attollitur ad imitationem Humanitatis Jesu Christi.

1. Joan. 3. v. 17.

S. Franciscus paupertate suâ imitatur ipsam Deitatem.

Psal. 15.

leni mundi, si hos è nihilo extrahere vellet, non locupletarent ipsum; omnia hæc indigna sunt, quæ aggregentur thesauro & divitiis ipsius: *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam honorum meorum non eges.* Et S. Franciscus amplexatus est statum, ut non solum omnes Reges terræ ipsum locupletare non possent, sed & ipsemet Deus centenos ipsi donando mundos non posset ipsum locupletare: Omnia creata abjecta sunt nimis, quæ ipsius componant thesaurum; locupletari non potest, nisi per idipsum, quod constituit divitias Dei, nempe Divinitatem. Ecce totum ipsius thesaurum.

Et dico, quod hoc non solum ipsum reddat honorabilem, sed & cunctis admirabilem hominibus. Nam quando intuentur hominem, qui repudiet universaliter omnia mundi bona sibi oblata, etiam ad recipiendum illa rogatus, percelluntur admiratione, quæ non modicam trahat post se reverentiam, & dicunt: oportet ipsum aliquid plus esse, quam hominem, cum despiciat ea omnia, quæ tanto cum amore sectantur & aucupantur homines. Et hujus experientia habetur adhuc indies, quando veri Filii S. Francisci velut Missionarii abeunt inter infideles, præcipue in Regna Orientis, ubi alium non amant Deum, nisi au-

rum & argentum: quando hi vident Missionarios suos, non solum illa contemnere, sed summe abhorrere, respiciunt illos velut homines è cælo, ipsosque magna cum reverentia auscultant velut oracula. Revera velut oracula è cælo accipiendi sunt, qui aliud loquuntur idioma, quam homines terræ. Et constat, hoc prodesse plurimum ad progressum & incrementum Evangelii.

Nunquam tam impensè studeo magis S. Franciscus se humiliavit, tantò magis ipsum Deus exaltavit, dicit se homo annihilare, seque contemptibilem reddere mundo, uti S. Franciscus & Jesus Christus complacuit sibi decies centesies millies reddere ipsi centuplum ejus, quo se expoliavit amore sui; cum voluerit, ut appareret in mundo, velut alter ipse; dico etiam, oculis exterioribus mundi. Nos digni non sumus, qui aspiciamus vel interiora Jesu Christi, vel interiora S. Francisci; hæc sanctuaria sunt, quæ aperta non sunt nisi oculis Dei solius. Sed judicemus ex eo, quod foris est. Quando videmus duo horologia, quorum styli vel acus sese conformant tam perfecte, ut semper easdem signent & denotent horas: judicamus, absque eo quod decipiamur, quod motus interni & arcani rotarum suarum omnino similes sint & æquales. Quando igitur intuemur exteriora Jesu Christi

Ooooo 2

su Chri-



fu Christi, & exteriora S. Francisci, iisdem signata caracteribus, nonne merito judicemus, interiora quoque ipsorum admodum fore æqualia, sibi que invicem similia. Si uterque tibi appareat omnino nudus; & si, monstrando tibi pedes suos, manus suas, & latus suum, omnia hæc pari ratione transfixa, tibi eadem dicerent verba, quæ leguntur in Evangelio: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum; quem acciperes pro Jesu Christo? quem acciperes pro Francisco?*

Stigmata S.  
Francisci.

Luc. 24.

Ecce tibi hunc hominem, qui se tam abjectum reddidit ad sequendum Jesum Christum, ut ne atomum quidem mundani possideret honoris Jesus Christus solus nonne melior illi fuit, quam si cunctos possedisset honores, qui unquam hucusque exhibiti fuere cunctis mundi Monarchis? Dices: mirum non est, ita honorari virtutem; sicut enim impossibile est, ut is, qui accedit ad solem, non illustretur ipsius lumine, ita impossibile est, ut ille, qui appropinquat Deo, non totus ipsius resplendeat gloriâ. Sed ejusmodi ornamenta non præbent alimenta; ejusmodi splendores non suppeditant res pro sustentatione vitæ humanæ necessarias; ejusmodi pompæ non afferunt neque domos, neque vestes, neque bona, neque reliqua, quibus indigemus, dum indigenæ sumus in terris.

Verum ex opposito complacet sibi Jesus Christus in hoc magis luculenter ostendere, quod omnia magis, quam centuplicata reddat illis, qui amore sui voluerint relinquere omnia. Nonne claris verbis promisit id in Evangelio? omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, nunc in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam. Si homines invicem pacta incant, adhibent fidem promissioni, quando hæc firmata & signata est propria ipsorum manu, quamvis non lateat mendacem omnem esse hominem: & fides non adhibeatur Deo, qui essentialis est veritas, quando promittit nobis, & promissionem suam firmat ac signat sanguine suo? quoties in Evangelio declaravit paternæ suæ curas providentiæ circa creaturas, quas non tanto, quanto nos prosequitur amore? Considerate, inquit, volucres cæli, quibus alia occupatio non est, nisi cantare laudes Creatoris sui in vasto aëre, quin terram colant, aut ferant, aut metant, & Pater vester cælestis pascit illas; aspiciate etiam agrorum vel hororum lilia, quæ volatilibus sunt minora; nonne vestimentis exornantur pulchrioribus, quam Principes mundi? & posthæc credatis,

Jesus Christus  
promittit cen-  
tuplum etiam  
in hac vita.

credatis, Patrem vestrum cœlestem non singulari prospecturum curâ propriis filiis suis?

Videre vultis promissionis hujus executionem: qui reliquerit aliquid ex amore mei, dicit Jesus Christus, centies tantum ipsi præstitero ego solus. Aspice S. Franciscum & totam pauperem ipsius familiam tam numerosâ divitem sobole. Nonne manifestè videtis, quòd pro patre & matre, quos relinquerunt, Deus suscitet illis non tantum centenos, sed plus quàm millenos patres, plus quàm millenas matres, prospicientes ipsis de alimentis, tanta cum bonitate, ut longè transcendat illam patrum & matrum, quos reliquerunt in mundo? siquidem eum hi plerumque non agant, nisi ex impulsu naturæ, qui valde imperfectus est, manducandum porrigunt ipsis panem doloris; pro eo, quòd alii ab affectibus prorsus divinis gratiæ & charitatis impulsu, illis depluant manna de cœlo absque ulla amaritudine.

Nonne luculenter omninò observas hoc centuplum, quando pro una vel duabus domibus, quas reliquerint ad sequendum Jesum Christum; quingentæ, millenæ, vel decies millenæ ipsis aperiantur, ut recipiantur in iis intra brachia charitatis sanctæ, longè melius, quàm recepti fuissent in domo

sua propria. Et Jesus Christus solus præstat illis hæc omnia; nam sicut ex amore illius omnia reliquerunt, sic etiam ex amore illius, omnia ipsis suppeditantur necessaria; ipse est tota ipsorum possessio, & unicus ipsorum thesaurus, & hic thesaurus subministrat omnia. Nonne videtis, quòd ipsos in suum substituat locum, quòd in propria sua Persona obstrictum se teneat de omnibus bonis, quæ exhibentur ipsis, ita ut in fine sæculorum dicturus sit omnibus prædestinatis: *Quod fecistis uni de minoribus istis, mihi fecistis?* Nonne igitur verum sit, quòd Jesus Christus solus ipsis sit omnia?

Ne dicam, quòd pro parvo terræ, quem reliquerunt, pugillo ad amplectendam Jesu Christi sequelam, tota illorum videtur esse terra, & omnes habitatores terræ! conducti ad ipsorum servitia; qui omnes laborant, etsi ab eis non conducantur, nec hi etiam de hoc cogitent, ad subministrandum illis omnia vitæ necessaria, unus hæc, alter aliâ ratione. Et hic Spiritus est Jesu Christi, qui ex paterna sua providentia ipsis dat iussa, ipsos concitat, ipsosque obstringit ad dandum sine coactione & sine violentia (sed cum interno animarum suarum gaudio) id, quod auctoritas & robur potestatis humanæ ex ipsorum manibus non

Ooooo 3

po-

Executio promissionis centupli quomodo fiat.

potuisset avellere. O quàm amabilis obligatio charitatis, quæ semper solvitur, & nunquam exsolvitur, sed eidem semper debito manet obstricta! ô prodigium potentiae & divitiarum Jesu Christi! ex amore illius habere nil volo in mundo; & ecce ratione quâdam me mundi reddit dominum, & omnes homines mihi debitores: non mihi opus est justitiâ humanâ, nec apparitores emitto, ut cogant illos ad solvendum mihi sua debita; sed solum habeo Jesum, qui curam gerit de omnibus, qui illos admonet, qui illos sollicitat, qui illos urget, ut solvant me: & ipsi hoc faciunt tanto cum amore, ut beneficio exeunte è manibus suis, non prodeat ex ore ipsorum querela vel minima, sed potius gratiarum actio Deo facta, cui se obligatos agnoscunt de bono, quod fecerunt. O quàm verum est, amabilissime Jesu, te solum esse mihi omnia.

Emolumenta centupli, quod Deus dat in hoc mundo pro temporali.

Verùm quis æstimare satis posset emolumenta hujus boni, quo Jesus Christus afficit eos, qui habere nil volunt nisi ipsum. Inprimis expediris ab incommoditatibus abundantiae, quæ plurimum affligit divites, pro eo, quòd putent suam in ea consistere felicitatem: cui enim ipsa fervit, nisi ut obruat ipsos negotiis, curis, inquietudinibus, an-

gustiis, à quibus illi, qui solis necessariis contenti sunt, vacant, vivuntque in pace? Secundo exoneraris laboribus millenarum molestissimarum sollicitudinum negotiando modò cum his, modò cum illis, prævidentio pericula, adhibendo cautelas, accumulando timores, faciendo itinera, laborando dies noctesque, & unico verbo, malorum catervâ obruendo caput tuum, ut parum boni inducas in manus tuas. Tertio evitas & evadis invidias, persecutiones, oppressiones potentiorum, tyrannidem litigiorum, fastidiorum, jacturarum, & mille alias calamitates, quæ incessanter flagellant eos, qui possident ea, quæ bona nuncupantur, quæque potius nuncupanda forent mundi mala. Quis non fatebitur cum Sapiente, quòd quidvis minimum his omnibus exemptum, sit melius omnibus mundi abundantibus, quas tot ac tantæ comitantur miseræ? *Melius est parum cum* Prov. 16. v. 8. *justitia, quam multi fructus cum iniquitate.*

Verùm dices, nonnè posset ejusmodi hominibus applicari parabola hæc Regii Prophetæ? *In labore hominum non sunt, & cum* Psal. 72. v. 5. *hominibus non flagellabuntur, & ideo tenuit eos superbia.* Non veniunt in partem laborum cum hominibus, nec flagella, quibus cæduntur homines, experiuntur; hinc

Cen  
non  
que  
hæc  
est,

hinc est, quòd tumore inflentur & arrogantia: ducunt igitur vitam otiosam, mollem, commodam & absque ulla afflictione; & anima ipsorum turget superbia, dum acceptos & exceptos se vident velut Deos in terra.

Non, sed totum contingit oppositum: siquidem ipsorum labores, ipsorum cruces, ipsorumque humiliações longè majores sunt illis reliquorum hominum. Verum est, quòd non laborent hi ipsorum more pro terra, laborant tamen pro cælo; non brachiis quidem corporis, sed facultatibus animæ; non ut colligant fructus terræ mox putredine consumendos, sed ut metant fructus æternitatis nunquam obnoxios corruptioni. Laborant cum Jesu Christo, quia contendunt ipsius imitari vitam. Hoc ergò non est vitam ducere inertem, desidem, otiosam.

Verum quidem est, quòd exempti sint ab omnibus adversitatibus, quibus implicatur divitiarum possessio, quæ non minoris sunt ponderis, quàm numeri. Ecce quare non immeritò dicatur, quòd non flagellentur cum hominibus; sufferunt tamen & tolerant cruces paupertatis, quæ copiosa admodum sunt, & ita ponderosæ, quando sunt involuntariæ, ut nemo in mundo tanti sit animi, qui non percellatur tremore,

quando se cernit iisdem obruendum. Non quidem est absque veritate, ipsas plurimùm esse addulcoratas, quando voluntariæ sunt, non tamen cessant veræ esse cruces, quæ torqueant & crucient haud leviter naturam; siquidem hanc ipsæ in perpetua conservant humiliaçãoe; in absoluta impotentia erga omnes res humanas; in universalis dependentia à toto mundo, nunquam non expositum contemptui, abjectioni, & privationi eorum omnium, quæ habere posset in votis. Longissime igitur abest, ut præbeat illis vel minimæ ansam arrogantia, cum nihil sit, quod ita atterat & pessundet animi elationem humani.

Nihilominus, ô admirabilem Philosophiam Spiritus Jesu Christi! Ecce tibi totam portionem, quam is relinquit iis, qui relinquere volunt omnia, ut nil habeant, quàm ipsum solum in mundo: omne ipsorum studium esse debet, ut se exspolient, se depauperent semper magis, ita se exuant omnibus, ut nihil prorsus habeant reliquum, sese humiliant, quærant contemptum, quantumque poterunt, se annihilent; ab omni se abstrahant consolatione humanâ, semperque vivant in cruce mortificationis universalis & continuæ. Et hæc omnia, tali cum conditione,

Centuplum non est absque cruce, sed hæc suavis est.

6. v. 8

v. 5

tione, ut, quamdiu nihil habere voluerint, nisi Jesum Christum solum, in nullo passuri sint penuriam; quando quidquam voluerint habere, omnia ipsis sint defutura: quamdiu prompto animo desideraverint humiliari sub pedibus omnium & contemni, honorandi sint ab omnibus; quamprimùm honorari voluerint, ab omnibus contemnendi: quamdiu privare se studuerint consolationibus sensuum & voluptatibus terrenis, victuri sint contenti & consolati magis cunctis in mundo hominibus; ubi primùm commoditates quæsi-verint corporis, sensuumque voluptates fuerint aucupati, contemptibilissimi futuri sint in mundo. Et profectò res ita contingit; videbitur clarissimè, si quis voluerit advertere.

Obcæcate munde, quantum deciperis in falsa tua persuasione? sed quam infelix es, dum nunquam capis, nec capere potes consilia & molimina Spiritus Jesu Christi! Ipsius sapientia est admiranda, & ipsius regulæ sunt infallibiles: qui se depauperat, locupletatur; qui se humiliat, exaltatur; qui fugit consolationes, has reperit: & ex aduerso, qui locupletare se studet, depauperatur; qui exaltare se vult, humiliatur; qui sectatur voluptates, illas fugit; omnes mundi scientiæ nihil vident in hoc; &

minimus radius cognitionis Jesu Christi, nil quam hoc videt clarius. Res ergo est explorata, quòd Jesus Christus non solum sit omnia iis, qui relinquunt omnia ex sui amore; sed semper sit centuplum cuius, qui amore sui quidquam reliquerit, siue honorem, siue voluptatem, siue bonum temporale.

Sanctus Germanus Episcopus Antisiodorensis ibat aliquando peregrinatum cum Diacono suo, & ecce mox pauperum greges, à quibus ceu verus pater habebatur, seque congregabant circa ipsum, & ubivis protendebant manus, ut elemosynam ab eo expostularent. Conversus ad Diaconum inquit: An accepisti quidquam pecuniæ pro nostro itinere? non sunt mihi, respondit Diaconus, nisi tres aurei. Dispertere illos inter hos pauperes. Sed unde vivemus nos? Diaconus reposuit: Charitas bene ordinata incipit à seipso, si superflui quid nobis fuerit, hoc cedat pauperibus, sed necessarium vix erit nobis. Itane ergo, inquit ipsi S. Germanus, diffidis bonitati Dei? non credis ipsius verbo, quo promisit nobis centuplum, si quid dederimus ex amore ipsius? da, da Jesu Christo, qui extendit ad nos manum in persona horum pauperum, nec tantam tui age curam, quantum Dei, qui patitur in membris

Pulchrum e-  
xemplum fan-  
cti Germani  
Antisiodore-  
nsis, quod o-  
stendit, Deum  
verè reddere  
centuplum.

membris suis; si recipiant à nobis, reddit nobis centuplum.

Nihilominus Diaconus ex prudentia nimis quàm humana, unum reservat aureum pro sui necessitatibus itineris, duosque alios disperditur pauperibus, persuasus animo, se quidquam reservando lucratum esse plurimum. Sed non benè adhuc capiebat admirabiles conditiones commercii cum Deo, ubi per leges omninò contrarias legibus mundi, aliquis se privat omnibus, quæ reservat, & omnia lucratur ea, quæ disperditur.

Vix aliquid confecerant viæ, ecce viri nobiles, accelerantes gradum post eos, profunda cum reverentia sanctum obtestantur Præsulem, per amorem Jesu Christi, cujus tenebat locum, ut honorare & consolari præsentia suâ dignaretur præcipuum quemdam nobilem, qui propè à loco decumbebat ægrotus, à quo etiam eo nomine fuerant missi, hanc ab ipso efflagitaturi gratiam; vel saltem ut suam illi per ipsos mitteret benedictionem.

Vir sanctus charitate plenus, invisit ægrotum, consolatur ipsum, addit ipsi animos ad portandam crucem à Domino sibi impostam, ponit ipsi ob oculos ardentem amorem, quem Jesus Christus ostendit nobis; crucem pro nobis portando suam; quòdque felicissimum æstimare se debeat nactus occasionem, quâ reciprocam parvi amoris notam ipsi possit exhibere patièdo pro illo.

Ægrotus totus affluens consolatione, totusque sancto accensus desiderio non solum patienti, sed etiam moriendi pro Jesu Christo, post humillimas sancto Antistiti exsolutas grates, instantissimè ipsum rogat, ut ducentos aureos acceptare vellet, quos donaret ipsi ex devotione. Accipe id, quod tibi datur, inquit S. Germanus suo Diacono; & memineris, quòd si non defraudasses pauperes uno illo aureo, jam recepisses aureos trecentos: hæc namque est promissio veritatis æternæ; Centuplum accipiet; & ecce hujus tibi adimpletionem.

## ARGUMENTUM.

*Jesus Christus est supremus noster Monarcha, noster Pastor, nostra Lux, noster Dux, perfectus noster amicus.*

### ARTICULUS III.

**D**UO sunt Regnorum genera, le & externum, aliud æternum, unum temporale, materiale & spirituale, & oculis corporeis invisibile.

PPPPP

vifi-

Jesus Christus  
est verè Rex  
spiritualis &  
temporalis.

visibile. Ambo pertinent ad  
Jesus Christum; nam si quæ-  
stio est de temporali, quis nega-  
re potest, Deum esse supremum  
Monarcham universi? nonnè  
per leges ipsius gubernantur om-  
nia? nonnè per ipsum Reges  
regnant: sunt ergò illi velut ip-  
sius Pro-Reges, qui etiam, dum  
gloriantur de supremo dominii  
sui fastigio, affirmant, se depen-  
dere à nullo, nisi à Deo. Sed  
nec unicus præsumebat unquam  
se eximere à supremo magni  
hujus Monarchæ dominio; ne-  
mo enim de suprema hac pote-  
state disceptare auderet cum  
Deo. Jam Jesus Christus est  
Deus, dico etiam, in quantum  
est homo, est Deus personaliter;  
verè igitur ipse supremus Rex est  
omnium Regum mundi: *Rex*

Apoc. 19.

*Regum, & Dominus Dominantium.*  
Quamobrem & jus habebat as-  
sumendi sibi imperium super  
omnes mundi Monarchias tem-  
pore vitæ suæ mortalis; siqui-  
dem omnes pertinent ad ipsum  
ex jure nativitatæ suæ æternæ,  
& suprema potestate, quam con-  
ferebat ipsi unio Hypostatica in  
omnes creaturas.

Noluit uti ju-  
re regni sui  
temporalis.

Nihilominus uti non voluit  
jure suo. Is, qui venerat ad do-  
cendum nos mundi contemp-  
tum, fugam honorum, anto-  
rem humiliationis & despectus,  
tantum abfuit, ut regnare desi-  
derant in terris super Reges; ut

submittere se voluerit pedibus  
hominum, velut vilissimum ter-  
ræ vermiculum; hinc est, quòd  
regiam fugerit dignitatem, quan-  
do rapere ipsum volebant popu-  
li & facere ipsum sibi Regem,  
utì recensetur in Evangelio;  
hinc etiam protestatus est co-  
ram Pilato, tempore judicii &  
condemnationis suæ: Regnum  
suum non esse de hoc mundo.

Verùm is obtinet aliud Re-  
gnum magis sublime, æternum, <sup>Exercuit jus</sup>  
spirituale, & omninò divinum; <sup>regni sui spi-</sup>  
& hoc est, quod propriè spectat <sup>ritualis.</sup>  
ad ipsum. Hinc est, quod no-  
bis dicat apud S. Matthæum:  
*Data est mihi omnis potestas in celo* <sup>Matth. 28.</sup>  
*& in terra.* Absoluta hæc pote-  
stas extendit se directè in omnes  
animas hominum, bonas & ma-  
las; nec unica illarum est, quæ  
obligata non sit subire leges ejus,  
& omnes recipiunt ab eo præ-  
mia æterna, vel æterna supplicia,  
juxta quod ipsius vel custodiè-  
rint, vel contempserint leges. Im-  
perium ejus est ipsius Ecclesia;  
ipse solus supremus illius est Mo-  
narcha; ipse solus gubernat ip-  
sam, ipsam conservat, ipsam de-  
fendit contra omnes mundi &  
infernæ potestates, quæ non ces-  
sant oppugnare illam.

O beatos nimium subditos <sup>E thesauris</sup>  
Regis tam amabilis! quis vidit <sup>suis prospicit</sup>  
unquam tam bonum Princi- <sup>cunctis neces-</sup>  
pens? Ipse haurit è thesauris suis, <sup>sitatibus sub-</sup>  
unde prospiciat necessitatibus to- <sup>ditorum suo-</sup>  
tius <sup>rum,</sup>

cius Regni sui, quin trahat unquam aliquid e subditis suis, ad locupletandum se; pro eo, quod alii exhauriant substantiam pauperum suorum subditorum, ad implendum suas arcas & cistas. Uterius ipse non nisi gratias effundit ubique, in toto suo Regno innumeros erigit thronos misericordiae, & judices, quibus suas committit vices, mandatam habent recipiendi omnes reos, qui accusatum se venerint coram ipsis cum dolore; & quamvis obnoxios ipsos inveniant pluribus criminibus læsæ Majestatis divinæ (etiam enormissimis) si videant, quod accusent ac condemnent seipos, jussa habent condonandi ipsis omnia, ipsosque remittendi locupletatos gratiâ, & faciendi ex ipsis, antequam à suis recedant pedibus, Majestatis divinæ amicos, & specialiter eidem dilectos; nihilominus potestatem ipsi non habent nisi absolvendi & non condemnandi, aut neminem damnandi. O amabilem Principem! pro eo, quod alii habeant ubivis tribunalia justitiæ, & illi, quibus suam committunt auctoritatem, non nisi potestatem habeant condemnandi secundum rigorem justitiæ; si gratiam exhibere conducat, potestas hæc est, quam reservant sibi solis.

Sed quod arguit bonitatem nimiam quæ non solum est absque exemplo, sed superat quoque id omne, quod unquam subire potuisset cogitationem & mentem hominum: pro eo, quod omnes alii Reges velint suos exponere subditos suas vitas pro conservatione vitæ sui Principis; Jesus Christus solus & unicus est Regum, qui suam det vitam, ad salvandum illam omnium suorum subditorum. Ipse solus Rex est, qui onerari velit injuriis ac opprobriis, ut omnes suos subditos exornari faciat honore & gloriâ. Ipse solus Rex est, qui oppleri velit plagis, ut has à suis arceat subditis, cum ipsos plus propriâ suâ diligat vitâ. Venite cuncta sæcula & videte, an unquam ejusmodi conspectum fuerit prodigium? an unquam auditus est sermo de Rege tam amabili? dicite mihi, an dignus non sit, qui regnet super omnia corda hominum. O quam merito sanctus Paulus asseruit in fervore zeli sui: *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.*

Et quod admirabilius est, quodque stupore abriperet corda hominum, si considerarent, summam in hoc Regni sui collocat gloriam. Aspice, quisnam illius sit thronus, est Crux ipsius: aspice, quænam illius sit corona, sunt spinæ perforantes & terebrantes

Ppppp 2

Caput

Nunquam  
Rex fuit simili  
lis Jesu Christi  
Ro.

1. Cor. 16.  
v. 22.



Augusta cere  
monia inau-  
gurationis ip-  
sius tempore  
passionis sue.

Caput ipsius: Aspice, quam  
regia illius sit purpura; est pre-  
tiosus sanguis, quo totum obdu-  
citur Corpus ipsius: aspice,  
quinam sint ipsius aulici, qui-  
nam stativi ipsius custodes; est  
caterva satellitum & inimico-  
rum omni crudelitate in ipsum  
debaecantium; & in egregio  
hoc apparatu, augustam celebrat  
inaugurationis suae ceremoniam:  
in hoc statu assumit titulum  
Regis; quem in Thaboræo  
non assumpsit vertice, quem-  
que semper in toto vitæ suae re-  
pudiaverat decursu: In magna  
hac die, & memoranda hac om-  
nium sæculorum actione, quâ  
regiam suam publicat dignita-  
tem, hujus vult titulum cunctis  
exaratum idiomatibus in throni  
sui affigi fastigio, & summè  
pomposum illius exhiberi spe-  
ctaculum in montis cujusdam  
vertice, in conspectu omnium  
nationum tempore paschali Je-  
rosolymis congregatarum: *Di-  
cite in nationibus, quia Dominus re-  
gnavit in ligno.* Evulgate per u-  
niversum orbem, & dicite cun-  
ctis mundi nationibus, quòd ex-  
altaveritis me super solium Re-  
gni mei.

Nunquam tam plenus Maje-

S. J. *Jesus Christus est noster bonus Pastor.*

Titulus Regis complectitur ali-  
quid tam gloriosum, tantam-  
que innuit potestatis amplitudi-

statis apparuit oculis Patris sui Oportet nos  
æterni: hic namque triumphare conformari  
vit de cunctis potestatibus infer. Regi nostro  
ni, de malitia peccati, deque Christo.  
omnibus adversariis gloriæ Dei  
Patris sui; hic simul & semel re-  
portavit tot millionum millio-  
nes Regnorum æternorum, quæ  
dispertiri vult cunctis fidelibus  
subditis Imperii sui. Sic nostris  
expositus permanere vult ocu-  
lis in suis imaginibus per cuncta  
sæcula, non in loco aliquo par-  
ticulari; sed vult videri ubique  
& collocari in editioribus Eccle-  
siæ suæ locis, ut ubivis & ince-  
santer aspiciamus nostræ felici-  
tatis originem, & manifestas in-  
finitæ bonitatis notas ab amabili  
Principe nostro nobis relictas;  
habeamus insuper exemplar, jux-  
ta quod efformare nos studea-  
mus, ut grati animi exhibeamus  
ipsi significationem. Omnia ip-  
sius vulnera sunt totidem ora,  
quæ clamant ad nos voce pre-  
tiosi sui sanguinis: *Regis ad exem-  
plum totus componitur orbis.* Qui  
me amat, sequatur me, omnes-  
que Imperii mei fideles subditi,  
qui prosequuntur me amore, se-  
quantur vestigia mea, studeant-  
que assimilari mihi.

nem, ut nunquam non afferat  
aliquid timoris. Jesus Christus  
vult quidem hunc portare titu-  
lum,

JEſus Chriſtus  
mavult vocari  
Paſtor noſter,  
quàm Rex no-  
ſter.

lum, eòquòd ſit congruum æ-  
quitati, ut vivamus ſemper in  
timore; magis tamen ſibi com-  
placet aſſumere titulum Paſtoris,  
ubi depoſitâ Majeltate, amor,  
bonitas, ſolicitudo univerſum  
tenent Imperium, eòquòd nos  
eſſe velit ſub manu ſua, velut  
parvulos agnellos, quibus non  
ſit niſi prompta ſubmiſſio ad au-  
diendum vocem Paſtoris, & ſub-  
eundum ipeſſi gubernationem,  
quique omnem ſuam collocant  
fiduciam, omnemque ſuam ſe-  
curitatem in custodia boni Pa-  
ſtoris ſui.

Joan. 10.

Nunquam dixit nobis: Ego  
ſum Rex veſter, quamvis fuerit  
reipſâ; ſed dicit nobis, & ſæpiùs  
repetit, eſſe ſe noſtrum Paſtorem  
bonum; & non ſolummodò hoc  
dicit, ſed id exercet officii, ac  
egregiè ipſius ſubit functiones.  
Bonus Paſtor, inquit, vadit ante  
gregem ſuum, & oves ipſum ſe-  
quuntur. Nonnè ubivis ante-  
ivit nos, ſuis nos informans e-  
xemplis? Nunquam nobis præ-  
cepit quidquam, quod prior ipſe  
non fecerit amore noſtri.

Bonus Paſtor cognoscit oves  
ſuas, & proſpicit omnibus ipſa-  
rum neceſſitatibus, cuncta alia  
relinquit negotia, ſeque totum  
tradit custodiae gregis ſui; huc  
omnes ſuas dirigens curas, &  
omnem laborem ſuum, & in hoc  
ſolo omnem ſuam collocans ſeli-  
citatem, & omne ſuum gaudium,

ut dilectus ſibi grex nullâ afficia-  
tur incommoditate. Jacob idæa  
bonorum Paſtorum in veteri Te-  
ſtamento, vigilabat per dius &  
pernox, omnesque tolerabat la-  
bores & moleſtias, ne minimum  
accideret malum gregi Laban  
foceri ſui, cujus gerebat curam:  
*Die noctuque aſtu urebar & gelu, ſu-  
giebátque ſomnus ab oculis meis. O  
quàm bonum Paſtorem.*

Verùm quid ſit hoc reſpectu JEſu Chriſti  
JEſu Chriſti ergà nos? Ipſe co-  
gnoscit nos perfectiſſimè, usque  
ad noſtræ intima animæ, & abs-  
que comparatione meliùs, quàm  
cognoscamus nos noſmetipſos.  
Nunquam non ſuos in nos fi-  
git oculos, & nunquam nos è ſuo  
dimittit aſpectu; omnes ſuas  
nobis impendit curas, omnes  
ſuas cogitationes, omnem ſuam  
ſolicitudinem: ità ut renuntians  
omnibus aliis negotiis, toto vi-  
tæ ſuæ mortalis tempore, nun-  
quam vel unicum formaverit  
greſſum, nunquam vel unicum  
pronuntiaverit verbum, nun-  
quam vel unicam conceperit co-  
gitationem, nunquam vel uni-  
cam perfecit actionem, niſi  
pro ſalute animarum noſtrarum:  
ipſe tam ſolenter curat ea, quæ  
noſtra ſunt, ut ſpondeat nobis,  
nec periturum capillum de capi-  
te noſtro absque ſpeciali provi-  
dentia ſuæ cura. Et ſi videre  
velis, quibus oneretur laboribus,  
ut ſit bonus Paſtor, aspice ipſius

PPPPP 3

affli-

afflictiones, ipsius jejunia, ipsius vigiliæ, ipsius lachrymas, ipsius persecutiones, ipsius dolores, sævislima passionis ipsius tormenta. An fuerit unquam tam bonus Pastor, qui ita amaverit gregem suum?

Bonus Pastor summè curat, ut ad bona pascua suam deducat gregem, vel meliora saltem, quæ regio subministraverit ipsi. *JESUS* Christus solus ille est bonus Pastor, qui attulit nobis è cælo suavissimum alimentum, quo nostras pascit animas, divinum Verbum suum, quod æternas includit veritates, quas è divini Patris sui hausit pectore. Sed contentus non est amor ipsius, nisi inauditum exantlet prodigium, quod nunquam alicujus creaturæ subisset mentem: vult ipsemet esse alimentum perdilecti gregis sui, manducandum nobis præbet proprium corpus suum, & potandum proprium sanguinem suum, vultque nos propriam suam nutrirî substantiam. Obstupescite omnes creaturæ, ad conspectum huius prodigii; deficite præ admiratione Angeli cæli; obmutescite, & extra vos abrepti intuemini hoc portentum homines mortales, & agnoscite, quòd impossibile sit videre unquam tam bonum Pastorem.

Bonus Pastor defendit gregem suum ab incurfu luporum, cunctarumque ferocium bestiarum,

quæ nocere illis possent, nunquam deserit illum in aliquo constitutum periculo; sed potius, quantò majus videt periculum, tantò magis sollicitus est custodire illum, suamque in illo benè custodiendo exponit vitam. Ah! nonnisi tu, ô amabilissime mi *JESU* Salvator, nonnisi tu cum veritate dicere potes: Ego sum Pastor bonus; totus infernus desæviebat in nos; omnia peccata, quæ pejora sunt dæmonibus, devorabant nos; *Justitia* Dei Patris tui meritò contra nos irritati conterebat nos in furore suo: & tu, Pastor optime, tu opposuisti te ad excipiendos omnes ictus, tu exposuisti propriam vitam tuam, & perdere voluisti te, ut à perditione servares nos omnes. O incomparabilis Pastor! ô fortunate nimium grex, qui defenditur protectione tam boni Pastoris!

Quando deseruit terram, ut *JESUS* Christus rediret in cælum, in sinum Patris sui, non deseruit curam dilecti gregis sui; sed potius tunc pastoralem suam congeminavit sollicitudinem. Siquidem ultra propriam suam vigilantiam, quam invisiбилiter semper assistere volebat ei, dedit in mandatis Apostolorum suorum Principi *S. Petro*, quem generalem suum instituit Vicarium, ut ejusdem intenderet gubernationi ac omnes partes Pastoris optimi solertissime

relinquit nobis Pastores loco sui, qui imitari ipsum debeant, & amare gregem suum.

mè

mè adimpleret. Sed talibus cum circumstantiis hanc illi concedidit, quæ luculentius quam unquam ostendebant affectum & amorem plûs quam paternum amantissimi hujus Pastoris animarum nostrarum.

Siquidem antequam committeret curam totius gregis sui sancto Petro, voluit certus esse de perfecto ipsius amore, trinisque vicibus interrogavit desuper ipsum: non, quòd de eo dubitaret, aspiciebat namque penetralia cordis ipsius; sed ut obstringeret ipsum ad respondendum manifestè, & cuncta agnoscerent sæcula, quid requirat in eo, cui curam concedit animarum, quas magis propriâ diligit vita. Petre, amas me? Domine, tu scis, quia amo te; pascere ergo oves meas, illarum tibi committo curam. Petre, amas me? Domine tu scis, quia amo te ex toto corde meo: pascere igitur agnosce meos, illorum te instituo Pastorem. Sed Petre, amas me? Ah! Domine, ecurr hanc super te ita urges me? Tu vides intima cordis mei, tu nôsti, quòd amem te, plûs quam me. Benè ergo contentus sum, habe igitur curam totius gregis mei, illum tuæ committo custodiæ. Prima conditio, quam requiro à vero Pastore, est amor; secunda, est amor; & tertia perfectissimus est amor erga me, & hunc de-

monstrari ab ipso mihi volo in cura, quam assumet gregis mei.

Memineris Petre, quòd bonus Pastor non debeat amare se ipsum, sed ardentè amare debeat oves meas, quas ipsi committo: memineris, quòd oblivisci debeat sui ipsius, sua negligere commoda, seque exponere omnibus, etiam jacturæ sui ipsius, Officium boni Pastoris, ad servandum illas: id est, quòd debeat paratus esse vitam suam dare corporalem pro salute gregis sui; alias verus non erit Pastor, sed mercenarius. Sanctus Petrus institutus est ab ipso Jesu Christo Pastor universalis totius gregis sui cum hac conditione, & observavit illam tam benè, ut dederit vitam suam pro ovibus suis; & quasi omnes successores ipsius usque ad sanctum Sylvestrum suas ita dedere vitas, & sanctissimi evadere Martyres, ultra trecentos omnino annos. O Jesu amabilissime, Pastor animarum nostrarum! an igitur contentus non erat amor tuus sacrificasse te ipsum; sed sacrificat adhuc omnes veros Pastores, quos loco tui substituis nobis, ut moderentur nos: vult sufferre ipsos omnia, exponere se omnibus, etiam usque ad propriæ jacturam vitam ad procurandum salutem nostram: ita nimirum amas nos.

Mercenarii, falsi Pastores, vos non capitis idioma hoc, vos ama-

tis

Defectus Pa-  
storis merce-  
narii.

S. Gregor.  
hom. 14.

tis vosmetipfos, & non gregem Domini vestri, magnam commodorum vestrorum geritis curam, & illarum negligitis salutem; vos pinguius pascitis corpora vestra illarum substantiâ, & mori permittitis illarum fame animas. Mercenarii vos ipsas deseritis, & fugitis, quando aspiciatis ipsas in periculo: non fugitis, quod mutetis locum, sed quod negetis, quod debetis ipsis auxilium, sicut sanctus Gregorius exprobrat vobis: *Fugit, non mutando locum, sed subtrahendo solatium, Fugit, quia iniustitiam vidit, & ta-*

*cuit.* Fugitis, quia tacetis, dum videtis ipsas intra unguis lupi infernalis, dum ignorantia ipsas obcæcat, dum inordinati affectus ipsis dominantur, dum demones ipsas tentant, dum peccata ipsas occidunt. Videtis ipsas in deplorando hoc statu, & nullo ardetis zelo ad liberandum ipsas; parum solliciti estis de bono ipsarum spirituali, modò temporale ipsarum vos maneat. Ah! mercenarii! vos ignavè fugitis, sed non fugietis semper, incidetis aliquando in manus Dei. Eheu! quid eveniet vobis?

§. 2. *Jesus Christus est nostra Lux, & verus noster Dux.*

Unus solus  
verus Deus,  
una sola vera  
lux.

Joan. I.

Sicut nonnisi unus est Deus, ita nonnisi una est veritas, & hæc veritas est Deus; ita nonnisi una est vera Lux, & hæc Lux est Deus. Jam Jesus Christus est solus hic Deus, hæc veritas, hæc Lux, Lux æterna, quæ magnum constituit æternitatis diem, in qua Deus videt pulchritudines suas, & sinè qua nihil videret. Ingens hæc Lux descendit de cælo in terram, quæ crassis obvoluta erat tenebris; sed abscondit se sub nube carnis nostræ mortalis, non ut obscuraret, sed ut temperaret nimium suum splendorem, seque accommodaret nostrorum debilitati oculorum. Hæc sola vera est Lux, quæ illuminat omnem hominem, venientem in

*hunc mundum, sicut dicit Evangelium; & quicumque oculos non habet ad aspiciendum illam, cæcus est, quamcunque aliam lucem se putet habere. Intellige benè, quæ dicam.*

Nonnisi unus solus verus est Deus: In vanum imaginabatur sibi Gentilitas maximum falsorum Deorum numerum: quanto plures putabant se habere Deos, tantò minus habebant Dei; & quanto plus credebant se habere pietatis, tantò plus habebant impietatis; & quanto majorem putabant se dare Religioni splendorem, tantò minus habebant Religionis. Multitudo falsorum Deorum suorum erat nullitas Deorum suorum. In

In vanum nominant Saturnum, Martem, Venerem; quanto magis invocant ejusmodi Deos, tanto minus habent Dei, quia non nisi unus est solus verus Deus.

Ita omnino non nisi est una sola vera Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; incassum persuadent sibi homines, se multo alia habere lumina, quibus se illuminent, seque dirigant; frustra dicunt, habere se lumen rationis naturalis, lumen sensuum, lumen prudentiæ humanæ; hisce omnibus instructi se credunt valde illuminatos. Sed vera hæc non sunt lumina, cum non nisi una sit vera Lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nempe solus JEsus Christus, qui vera hæc Lux est de cælo descendens. Cum igitur ipse solus vera sit Lux, omnia alia non nisi falsa sunt lumina; & consequenter non illuminant, ut ponant ob oculos res tales, quales sunt; sed obcecant ipsos, proponendo illas multo aliter, quam sint, adeoque non secure deducunt, quos ducunt, sui sequaces, sed seducunt eos. Et quanto plura quis habet horum falsorum luminum, tanto minus veri habet Luminis; & quanto magis se credit illuminatum, tanto majori offunditur cæcitate.

Aspiramus omnes ad felicitatem; inquirimus viam, quæ pertingamus eò, ubi vivere nobis liceat consolatè & beatè. Omnia lumina rationis nostræ naturalis, illa nostrorum sensuum, illa prudentiæ humanæ ostendunt nobis, id evinci & fieri per dignitates, per gloriam, abundantiam bonorum, voluptates, exemptionem ab omni miseriarum genere, & putamus videre nos clarè velut in meridie. Et nihilominus hæc non sunt nisi falsa lumina, quæ obcecant & decipiunt; duces sunt infideles abducentes nos à termino, quò tendimus. Nihilominus omnes ipsorum sequuntur ductum eò, quòd credantur vera esse lumina: Sapientissimi quique in mundo putant in hoc se esse securissimos, eò quòd videatur hoc ipsis plausibile, studeantque suum implere caput regulis pulcherrimis, quibus utitur sapientia mundi, qui omnes consentiunt, contendendum nobis esse, ut hæc viâ reddamur beati. Sed quanto

Falsa mundi lumina seducunt nos.

Q9999

quan-

Quantò plus habemus falsorum luminum, tantò minus habemus veri luminis,

Mira mundi  
cæcitas.

quantò putant se esse sapientiores, tantò magis sunt stolidi.

Nonnè oportet eos esse nimis quàm cæcos ac stolidos, vineulis non immeritò implectendos, quòd non videant ea, quæ indies coram suis accidunt oculis; quòd non advertant, eos omnes, qui assequi prætendebant beatitudinem sequendo lumina stolidæ sapientiæ mundanæ, nunquam invenisse eam, quam quærebant, felicitatem, sed miseriam, quam se sperabant evituros; ac potius ipsos omnes fuisse obrutos mæroribus, fastidiis, inquietudinibus, afflictionibus, laboribus toto vitæ suæ tempore, ac tandem omnes miserabiliter periisse? hæc experimenta sinè intermissione habere ante oculos, & nunquam posse cognoscere, quòd per illa non obtineatur beatitudo, nonnè deploranda sit cæcitas & obcæcatio? & homines isti, qui circumferre se putant splendidissimum in capite suo solem, nonnè tenebris ofundantur densioribus, quàm illis *Ægypti*?

Mundus lu-  
mina JEsu  
Christi, æsti-  
mat velut te-  
nebras,

Sed mirandum non est, cùm nonnisi una sit vera lux, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum, quam ipsi non vident. Hæc sola vera Lux est JEsus Christus, & ipsi hunc non cognoscunt; ipse solus est, qui descendit de cælo in terram, docturus nos viam vitæ,

& illi sequi renuunt ipsum; ipse est veritas infinita per essentiam, & illi omnia ipsius effata ac placita ceu absurdas & ridiculas despiciantur veritates, eòquòd tales appareant falsis suis, quibus reguntur, luminibus. An advertetur quidquam magis omni prudentiæ carnis, quàm dicere: Vis consolatus vivere & beatus? agrava te crucibus & afflictionibus, tæque mortifica absque intermissione. Vis esse ita dives, ut nihil tibi desit? expolia te omnibus, & omnia mundi contemne bona. Vis vivere in honore? fuge vanos mundi honores, sectare humiliationes, contemptus, tæque demitte usque ad nihilum.

Non est homo in terris, qui hæc intueatur velut veritates, nisi illuminatus sit solâ Luce, quæ est Christus JEsus. Nemo hanc ambulare vult viam, eòquòd videatur non conducere ad felicitatem, sed ad miseriam; & omnia falsa mundi lumina hoc ferunt judicium. Sed in hoc obcæcant universaliter omnes, qui nonnisi pro ipsis habent oculos: siquidem præter omnem humanæ rationis Philosophiam, experientia omninò manifesta convincere deberet omnes. Qui sunt, qui magis beati, magisque consolati vivant in mundo? nonnè illi, qui mundum contemnunt, & leges ejus, ut sequantur

tur

tur illas Jesu Christi? qui sunt, qui magis solido, magis firmo fruuntur gaudio? nonne illi, qui sensuum fugiunt voluptates, & vitam amplectuntur austeram? qui veri sunt divites, quibus nihil deest, qui forte suâ vivunt contenti, qui nihil anhelant ulterius? nonne illi, qui voluntariam sectantur paupertatem, prementes in hoc vestigia Jesu Christi? qui sunt, qui magis honorantur, quosque omnes pluris æstimant, magisque reverentur ex intimo cordis sui? nonne illi, qui honores mundi fugiunt, qui se humiliant, & non nisi contemptum quærunt? experientia ostendit hoc indies tam manifestè, ut non dubitare de eo liceat.

Felicitas eorum, qui sequuntur Lumina Jesu Christi.

Et post vitam adeo beatam, quisnam futurus est finis ejusmodi hominum? quæ per omnem æternitatem ipsorum fors erit? si interrogarem omnes Sapientes sæculi, an postquam secuti sunt toto vitæ suæ cursu, speciosa providentiæ suæ humanæ lumina, felicissimos se non æstimarent, si concludere illam possent, sicut illi, qui sequuntur lumina Jesu Christi: quis ex omnibus illis non diceret velut Balaam, benedicendo tandem illos, quos maledixerant toto tempore vitæ suæ: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia!* sed responderem ipsi: *Obcæcate, ubi sunt*

Numer. 3.  
v. 10.

oculi tui? ubi ergò est sana mens tua, quam habere te putas? si super omnia desideras obtinere finem beatum verorum servorum Jesu Christi; eccur ergò non ambulas viam, quæ conduceret te illuc?

O Jesu, tu vera nostra Lux es! sed quomodo dicis, quòd sis Lux mundi, cum mundus non agnoscat te, nec oculos habeat ad te videndum, nihilque tuæ omnino videat doctrinæ, & ambulet viam prorsus contrariam illi, quam ipsi demonstras? *Væ mundo, qui claudit oculos luminibus Jesu Christi.* Væ illi, qui saltem confundat illum, si ipsum non illuminet. Væ illi, si claudat oculos, ne videat te. Quomodo non moriamur præ pudore, quòd Christianorum circumferamus nomen, profitentes publicè, quòd adoremus te, credamus in te, sequamur te, imitemur te, & interim tam simus vecordes, ut publicè totum agamus contrarium illi, quod doces nos? ô mi Jesu! cum sciam, te veram esse Lucem meam, nolo amplius habere oculos nisi pro te, incessanter aspiciam te, & minimis intentus erotum verbis, tum factis tuis, pedentim sequar te, nec unquam ex aspectu meo dimittam te. Abeste falsa sensuum & rationis humanæ lumina, nunquam me amplius decipietis.

Q9999 2

§. 3.



§. 3. *Jesus Christus est perfectus noster amicus.*

Vita humana infelix est illi, cui non arriserit fors, ut perfectum inveniat amicum, juxta effatum S. Augustini: *In quibuslibet rebus humani nihil est homini amicum, sine homine amico.* Nam cum ipsa plena sit amaritudinibus, quid eveniet illi, qui debet ipsas digerere solus, edquod amicum non habeat; qui illarum in se velit suscipere partem? cum ipsa exposita sit millenis calamitatibus, quanta ipsius erit miseria, qui caret amico porrigente sibi manum auxiliatricem, seque sustentantem? cum ipsa millenis obnoxia sit necessitatibus, unde sperare poterit solatium, qui solus est, & nescit amicum? & tandem cum maxima vitæ voluptas consistat in delectatione, quâ demulcetur cor humanum in amando, quem dulcorem gustare potest ille, qui caret amico, quem amet, & a quo ametur? quamobrem dirissima, quam antiquitus fulminabant, imprecatio hæc erat: *Nec amet, nec ametur ab ullo*; quo dicere voluerunt: miserimus sit miserorum omnium in terris.

Non est verus amicus in mundo. Verum si necessario oportet habere amicum perfectum, ut consolatus quis vivat ac beatus in terris, ubi inveniemus ipsum? erit nec in mundo & inter homines? Eheu! inter hos non

reperire est, nisi perfidias, fraudes, simulationes. Novi, nihil esse usitatus, quam audire nomen amici, omnes contestantur amicos se esse, idque conantur persuadere: sed imprimis verum est, quod dicitur: omnis homo mendax; nemo enim verus est amicus, etiam sui ipsius, cum verus amicus nil faciat mali amico suo; jam omnis homo, qui peccator est, peccando facit sibi ipsi malum infinitum; si igitur malus sit sibi ipsi, cui bonus erit?

Dicendum est de perfecto amico, quod modò diximus de luce. Infinita sunt falsa lumina in mundo, quæ non illuminant, sed obcecant potius homines; sed non nisi una vera est Lux descendens de cælo ad illuminandum omnem hominem venientem in hunc mundum. Ità innumeri sunt falsi amici in mundo, qui omnes in se confidentes decipiunt; sed non nisi unus verus & perfectus est amicus, qui descendit de cælo, ut amet nos verè, & ametur à nobis perfectissimâ amicitia. Tu solus, ô Jesu, verus noster & perfectus es amicus; declaras id non solum verbis, sed etiam operibus. Nam expectari quid posset in sincerissimo, intimo, fidelissimo, & generosissimo amico, quod non habeas in gradu eminentissimo

S. August. epist. 121. cap. 2.

Necessarium est, habere perfectum amicum in vita præfenti.

Non nisi unus est verus amicus, qui est Jesus Christus.

firmitate respectu nostri? elige ipsemet amicum perfectissimum, quem imaginari tibi poteris.

Omnes conditiones perfecti amici sunt in Jesu Christo.

Optarem amicum, qui nobilissimus foret & potentissimus: siquidem felicitatis non minima pars est, in amoribus esse alicui Monarchæ, nec minoris esse honoris pollere apud ipsum gratiã. Verum an majorem Jesu Christo agnoscis Monarcham? ipse declarat se amicum tuum, teque pro suo, si volueris, assumit specialiter dilecto. An tam sublimem repudies felicitatis sortem?

Sed optarem amicum, qui depositã suã magnificentiã redderet se mihi familiarem, qui adhereret mihi, quique paratus foret servire mihi in omnibus. Nonne vides, quod Jesus Christus depositis Majestatis suæ splendoribus, sese reddiderit tibi similem, quod descenderit de caelo in terras quæsitum te, quod totum sese tuo devoverit servitio? quis amicorum unquam fecit quidquam ejusmodi?

Optarem amicum, qui amore me prosequeretur sincero & ex intimo profecto corde. An sincerior haberi possit amor eo, quo erga te afficitur Jesus? Ipse offert tibi cor suum totum apertum, ipse totus est tuus, tam vehemens amoris sui in te est sensus, ut ad liberandum te à tuis miseriis, illas omnes suscepe-

rit in se. Nonne hoc sit verum esse amicum?

Sed optarem amicum, quem sæpius videre possem, cum quo familiariter mihi liceret conversari, qui audiret me loquentem, & pro consolatione mea responderet mihi. Jesus Christus plura præstat in hoc, quàm desideras; potes videre ipsum continud, nunquam enim tibi abest; loquere ipsi familiariter sine intermissione, nil est, quod magis exoptat; respondebit tibi semper verbis cœlesti consolatione plenis.

Optarem amicum liberalem, qui obrueret me beneficiis, & hisce copiosis. An desiderare posses majorem, quàm illam Jesu Christi in te liberalitatem? ut verum fatear, non solum liberalis est, totus est prodigus in bonum tuum: siquidem elargitur tibi infinitos thesauros gratiarum suarum, meritorum, bonorum æternorum, nil habet, quod tuum non sit, cuncta tua solvit debita, emit & comparat tibi Regna æterna. Quid facit adhuc? seipsum dat tibi totum integrum. O Jesu perfectorum amicorum Phoenix! quomodo possibile est, omnium corda hominum non ardentem amare te?

Verum amicum optarem, qui sufferret me, measque supportaret infirmitates. Ah! quis unquam imaginari sibi potest pa-

Q99993

tien-

tientiam, quæ vel à longè accedat ad illam incomparabilis hujus amici? nobis solemne est, offendere ipsum sinè intermissione, & ipse ex instituto nunquam non requirit nos: ipse non exhibet nobis unquam, nisi bonum, & nos non afficimus ipsum quasi, nisi malo. O perfectum amicum, cui nunquam fuit, & nunquam erit similis in mundo!

Optarem amicum fidelem, sibi que commissi observantem secreti, cui concedere possem omnia ac intima cordis mei arcana, omni cum fiducia, quin unquam exin mihi quidquam accideret mali. Nonnisi Jesus Christus solus est, qui inviolabili hæc gloriari possit fidelitate. Inauditum est, revelasse ipsum unquam secretum sibi commissum; quinimò vult eos quoque quos suo substituit loco, ad recipiendum occultissima conscientiarum nostrarum arcana, perpetuum observare secretum, quod non violarent cum propriæ etiam jactura vitæ. O amicum fidelem fidelioem omnibus! omnia novit, & nihil revelat.

Admirabilis  
familiaritas  
Jesu Christi  
cum amicis  
suis.

Sed tandem optarem amicum, qui quandoque invisum me iret, domumque accederet meam, ac omnium negotiorum meorum suscipere curam, de quo affirmare possem: Integerimus est mihi amicus, cui con-

credere omnia possim mea; ipse totus est meus, & ego totus ipsius. Nonnè vides, quid fecerit Jesus Christus? non contentus invisere te sapientè ratione quâdam spirituali, nempe per inspirationes & consolationes internas in tuis fastidiis, per additionem roboris & animi in tuis infirmitatibus, accedit ipsemet in Persona domum tuam, quotiescunque volueris, ingreditur usque ad intima corporis & animæ tuæ penetralia in sancta Communione, afferens tibi secum omnes suos infinitos gratiarum & meritorum thesauros, hisque omnibus te locupletat: suum connectit cor cum corde tuo, suam implectit animam cum anima tua, & pretiosum suum commiscet sanguinem cum sanguine tuo, & divinum amorem suum cum amore tuo, & ex te & ex se nonnisi rem facit unicam, sicut duæ ceræ liquefactæ & invicem commixtæ, nonnisi uniceam conficiunt massam. Quare quemvis alium in mundo amicum, qui simile quid possit facere pro amico suo.

O Jesu, amice amicorum omnium perfectissime! quomodo possibile est, adhærere homines posse alteri cuiquam amico, quàm tibi in terris? Tu solus, qui perfecti amici geras titulum, mereris: si amare, est velle bene, tu nobis vis, nobisque facis  
bona

Intimus amor  
Jesu Christi  
ergà amicos  
suos.

bona infinita; si amare, est tangi commodis vel incommodis eorum, qui amantur, tu dicis, quòd, quando tangimur, tu tangeris & vulnereris in pupilla oculorum tuorum; si amare, est exponere se omnis generis laboribus, ja-cturis, periculis pro amicis suis, tu sacrificasti te totum pro nobis, usque ad savissimam & probrosissimam mortem crucis. Si amare denique est, velle se reddere infelicem, ut felices reddat amicos suos, non est miseriarum abyssus in mundo, cui te non immerferis, ad comparandam nobis beatitudinem æternam in possessione Regni tui.

Nimis quam felices sumus, quòd Jesum Christum habeamus amicum.

O Jesu! quam verus, quamque perfectus es amicus! ò Jesu quam amas nos! an digni sumus tam perfecto amore? quid fecimus, ut ad hoc obstringeremus te? quid nostri tu indiges?

quid expectare potes à nobis præ æqua tam perfecti erga nos amoris gratitudine? & post hæc omnia, misera nostra corda adhuc ignava sunt in amando te. Nulla est nobis cura, ut cognoscamus te, siquidem vix est, qui cognoscat te, qui requirat te, qui solummodo cogitet de te. O stupiditas! ò insensibilitas! ò probrum ingratitude nostrarum!

Ignosce, ò bone Jesu! morior præ pudore & dolore, quòd non amaverim te hucusque ex toto corde meo. Sed ex hoc instanti protestor coram facie cæli & terræ, quòd velim amare te, amare te, & amare te unice. Tu es & eris in æternum solus & unicus amicus meus; ego alium nolo habere in mundo amicum præter te, & eos, quos amari à me voles ex amore erga te.

## ARGUMENTUM.

*Jesus Christus est noster Medicus & noster Advocatus.*

### ARTICULUS IV.

**E**Ramus ægroti, & omnes filii Adæ fauciati erant lethali-ter ferale illo ictu, quem receperunt in persona Proto-parentis sui à creatione mundi, ita ut totus orbis non esset nisi ingens Xenodochium, repletum ægrotis, sed ægritudine, quæ sanari non poterat ab ulla potentia hu-

mana. Ictus lethalis, quo peribant omnes, erat in ipsorum anima; sed spirituale hoc vulnus multas quoque pariebat infirmitates corporales, quibus torquebantur tota vitâ suâ. Ecce miserandum, in quem omnes redacti eramus, statum.

Quan-

Jesus Christus  
est magnus  
Medicus, qui  
sanare venit  
infirmi-  
tates  
corporum &  
animarum  
nostrarum.

Quando magus hic Medicus descenderat de cœlo, ut sanaret magnum hunc agrotum languentem in terris, universum genus humanum, videmus ex historia Evangelica, ipsum perpetuò sanasse infirmos, non solum ab infirmitatibus spiritualibus, sed etiam corporalibus. Quem in finem innumera patravit miracula toto vitæ suæ mortalis cursu, continuavit idipsum cunctis sæculis, & continuat adhuc indies ejusmodi operari miracula, restituendo sanitati tum animas, tum corpora per ministerium servorum suorum. Quando enim confugimus ad intercessionem Sanctorum, ut sanemur, ipse semper est, qui operatur omnes sanationes nostras, eoque omnes boni servi JESU Christi nunquam quid faciant, nisi per potentiam sibi à divino Domino suo subministratam. Ipse igitur Omnipotens & amantissimus omnium nostrarum infirmitatum, corporalium & spiritualium est Medicus.

Lib. I. Pædag.  
c. 2.

Sanctus Clemens Alexandrinus egregiè dicit, quòd sit *Pæonius Medicus, & sanctus agrotæ anima incantator*. Alludit ad famosum illum Medicum Pæonem, qui in Iliade Homeri sanare noverat Plutonem, Deum inferorum à lethali vulnere, quod acceperat à manu Herculis. Hæc

quidem est fabula, & tamen sanctus Clemens, sanctus hic & sapiens Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyter ea uti voluit ad explanandum nobis omnipotentem virtutem cœlestis nostri Medici, qui sanare novit lethales plagas quæ æternam in inferis mortem conciliaissent nobis.

Sed melius adhuc id exprimit, quando dicit, quòd sit sanctæ agrotæ animæ incantator; sanctus incantator, divinus magus, qui facili negotio omnes sanat animarum nostrarum infirmitates. Quinam appellantur incantatores? nonne ii, qui absque usu remediorum corporalium sanant infirmitates corporum solis verbis. Quando conspicitur, quòd sanent omnes loquendo solum, dicitur, quòd fieri id debeat per artem Magicam. An igitur habendus sit JESUS CHRISTUS pro vero Mago? siquidem ex tot agrotis, quos sanavit, sicut refertur in Evangelio, non videmus, ipsum adhibuisse ulli aliquod remedium, nisi cœcō nato, super cujus oculos posuit lutum, quod remedium potius erat ad ipsum obcœcandum, si cœcus non fuisset: omnes alios sanavit, vel ipsis solum loquendo, vel ad summum tangendo ipsos, vel permittendo ipsis, ut tangerent simbriam vestimenti sui. O divinum Magum, qui sanare nôrat omnes

VIR.

virtute Verbi sui! sed Deus Pater primus Magus est, qui hoc nomine misit nobis Verbum suum in terras, ut sanaret omnes:

*Psal. 106. Misit Verbum suum, & sanavit eos.*

Collocat verba sua in os fervorum suorum, ut sanent animas sicut ipse.

Omnes ii, qui didicerunt certa verba à Mago quodam, sanat sicut ipse ægrotos, eadem dicendo verba. Si dæmones hanc possident potestatem ex permissione Dei, an mirandum sit, quòd Jesus Christus ponens verba sua plena incantatione divinâ in ora Apostolorum & Prædicatorum suorum, sanaverit & sanet adhuc indies loquendo, milliones ægrotarum animarum in universo orbe? sanctus Paulus, quem tota Ecclesia per antonomasiam magnum vocat Apostolum, sanctus Paulus prodigium Prædicatorum, quid non fecit pro conversione mundi, virtute divini Verbi? sanctus Augustinus dicit, quòd sit *Seminator verborum, Messor morum*, nempe bonorum; sed semper in semine inclusa est tota virtus producens fructus, & non in manu seminantis. Jesus Christus ergò, qui Patris omnipotens est Verbum, sanat animas, quando salvantur virtute divini Verbi sui.

Minorem fidem habemus in Jesum Christum, quam Magi habeant in dæmones.

Quoties contingit, quòd non solum infirmitates animæ, quæ sunt peccata ipsius, sed etiam peccata corporum, quæ ipsorum sunt infirmitates, sanata sint unico verbo magni hujus Medici

corporum & animarum. O si haberemus fidem! an dicere audeam Verbum, quod, dum pronuntiavero, suffundet me pudore? si haberemus tantam fidem in Jesum Christum, quantam habent Magi in suos dæmones! (ignosce Domine, quòd indignam hanc instituere audeam comparisonem, sed nimis quàm vera est) Dæmones pronuntiare jubent verba quædam barbara, vel impia, vel absurda servos suos, & ipsi sanant ægrotos, eò quòd confidunt in dæmonem. Jesus Christus imponit ori nostro divina sua verba, omnipotentem habentia virtutem ad sanandum omnia infirmitatum genera, & maxima patranda miracula; & hæc verba nullum effectum habent in ore nostro, eò quòd sufficientem non habemus fidem, neque etiam fiduciam in ipsum.

Adorandum Nomen Jesu pronuntiatum per ora Apostolorum sancti Petri & sancti Joannis, reddidit in instanti sanitatem & gressum cuidam claudum quem jacentem inveniebant ad portam templi Jerosolymis. Eratne virtus horum duorum hominum, quæ prodigiosam hanc operabatur sanitatem? Audi, quâ ratione sanctus Petrus hæc super re suam exponit mentem Judæis, hoc prodigium admirantibus, & cum stupore aspicientibus

Rrrrr

bus

Actor. 3.

bus ipsos, quasi attribuere vel-  
lent ipsis facinoris hujus gloriam:  
*Viri Israëlita, inquit, quid miramini  
in hoc, aut nos quid intuemini, quasi  
nostrâ virtute aut potestate fecerimus  
hunc ambulare. Scitote, quod om-  
nipotens virtus Nominis Jesu de-  
derit integram sanitatem istam:  
Notum sit vobis, quia in nomine Je-  
su &c.*

Sed quæro, an augustum hoc  
Nomen, adhuc hodie sicut olim,  
ejusdem sit potestatis? quæro,  
an hoc Verbum adorandum,  
quod reliquit nobis verba sua,  
suo plena robore ac virtute, non  
conseruet illa semper in eadem  
fortitudine? undè ergò oritur,  
quòd adeò infirma sint in ore  
nostro, ut efficiant nihil? fateamur  
veritatem, sed morientes  
pudore: minus fidei, minusque  
fiduciz habemus in Jesum Chri-  
stum, quàm Magi habeant in  
dæmones.

Nihilominùs injuriam hanc  
inurere nollem plurimis bonis  
animabus, quæ cognoscunt Je-  
sum Christum, amantque san-  
ctum Nomen ejus, portantes il-  
lud insculptum cordibus suis,  
sæpiùsque magnâ cum venera-  
tione revolvunt animo. San-  
ctus Bernardus totus collique-  
scebat dulcedine, quando cogi-  
tabat de Jesu, vel quando de No-  
mine Jesu faciebat sermonem.  
Dicit illud esse oleum, quod sa-  
porem addat cunctis animæ no-

stræ dapibus. *Aridus est omnis a- S. Bernard.  
nimæ cibus, si non oleo isto insunditur: ferit 15. in  
insipidus est, si non hoc sale conditur. Cantic.  
Si scribas non sapit mihi, nisi legero  
ibi Jesum: si disputes, aut conseras, Potestas ad-  
non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus, mirabilis No-  
Jesum mel in ore, in aure melos, in cor- minis Jesu  
de jubilus. Sed est & medicina. Tri- pro bonis ani-  
statur aliquis nostrum? veniat in cor- mabus.  
Jesum, & inde saliat in os, & ecce  
ad exortum Nominis lumen, nu-  
bilum omne diffugit, redit serenum.  
Labitur quis in crimen, currit insuper  
ad laqueum mortis desperando: nonnè  
si invocet Nomen vita, confestim re-  
spirabit ad vitam? Tandem quid-  
quid mali nos poterit afficere,  
confugiamus ad magnum hunc  
Medicum; in ipso solo inve-  
niemus remedium cunctis no-  
stris malis.*

Quid addere huic possum, Jesus Christus  
nisi quòd sit etiam noster chari- est noster Ad-  
tativus Advocatus, qui cunctas vocatus apud  
nostras suscipiat causas, illasque Patrem suum.  
efficaciter agat coram Deo Pa-  
tre suo. Nemo est in mundo,  
qui non firmiter crederet luera-  
turum se causam suam, si Advo-  
catum haberet, qui quatuor has  
possideat conditiones. Prima,  
quòd ità ametur à Judice, ut nec  
illi benignas possit abnuere au-  
res, nec quidquam, quod à se  
petierit, denegare. Secunda,  
quòd ità sit prudens, ut Judex  
nil sciat nisi per ipsum, tamque  
eloquens, ut omnia, quæ volue-  
rit, persuadeat ipsi. Tertia, quòd  
ità

ita fit benevolus erga clientem suum, ut ipsius agat causam, ejusque promoveat commodum tanto cum ardore, ac si propria sua causa foret, resque ageretur sua. Et quarta, quod potestatem habeat supplendi ea omnia, quæ deesse possent bono juri clientis sui, sicut & benignitatem ad suppeditandum è proprio suo id omne, quod necessarium foret ad obtinendam victoriam causæ ipsius. Qui haberet hæc omnia, certus esse posset de optimo causæ suæ eventu.

Jam nobis hæc optima fors est, ut ejusmodi Advocatum habeamus in Persona Jesu Christi. Nos disceptamus toto vitæ nostræ cursu pro Regno cælorum; utque arceamus à nobis horrenda infelicitatis æternitatis supplicia. Hæc causa infiniti nobis est ponderis, eoquod hic agatur de vita æterna, vel de morte æterna. Interim bonum jus non habemus à nobis ipsis, & causa nostra, quæ semper incerta & ambigua manet, non judicabitur, nisi in ultimo momento vitæ nostræ: continuus nos deberet percellere timor, ne perdamus ipsam, & ne quidem de hoc cogitamus: si ferio id ponderarem, desperandi nobis ansa foret, cum videamus, quod à nobis ipsis jus nullum habeamus ad vitam æternam, nec aliquod medium, quo evitemus & evadamus mortem sempiternam.

Pondus causæ, quod agit pro nobis.

Verum potentem habemus Advocatum, qui nostram agat causam. Nil est, quod magis nos consoletur, quod majorem nobis adjiciat animum, quam verba, quæ dilectus Domini nostri discipulus in prima sua epistola exarata nobis reliquit: *Fi-1. Joan. 2. v. 1.* *lioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ecce tibi firmum ac solidum spei nostræ fulcimentum. Vide, quomodo ipse perpendat omnes prærogativas incomparabilis hujus Advocati, quibus non solum magna nobis concilietur spes ac fiducia, sed cujusdam quasi firmitas certitudinis, quod nostræ reportaturi simus victoriam causæ.

In primis est Advocatus pol-Magna ha-  
lens auctoritate & Majestate in-benda nobis  
finitâ, causam nostram agens co-est fiducia, re-  
ram Deo Patre suo: *Advocatum* portaturos  
*habemus apud Patrem; sed Patrem,* nos victoriam  
à quo infinitâ ratione amatur; in causâ no-  
Patrem, à quo nunquam non-stra per Jesum  
auditur, abs eo, quod unquam Christum de-  
desistere possit, quin intendat & tensâ.  
aures præbeat illi quæcûmpue si-  
bi dicenti; Patrem, qui tam per-  
fectè consentit & annuit ei, quod  
vult, ut non nisi eandem cum ip-  
so habeat voluntatem.

Secundò est Advocatus tam prudens, ut sit tota Sapiencia Dei Patris sui, qui nihil cognoscat,

Rrrr 2

nisi



nisi per ipsum, tamque eloquens ut unico solo Verbo repleat intellectum divini Patris sui omnibus infinitis veritatibus, quas cognoscere potest, quin unquam extra eas possit cognoscere aliam.

Tertiò est Advocatus tam benevolus & officiosus, ut ex nostra propriam suam faciat causam. Ipse tam arctè conjungitur nobis, tamque sollicitè nostra curat commoda, ut videatur nihil esse separatum ipsum inter, & nos. Ipse est Caput nostrum, & nos sumus membra Corporis ipsius. Non sufficit dicere, quòd ipse tanto cum ardore curet & promoveat commoda nostra, quantò faceremus nos ipsi: nonnè enim luculentissimè vidimus, quòd curaverit illa toto vitæ suæ mortalis decursu infinitè majori cum ardore, quam faciamus nos; cujus rei testes sunt ipsius labores, ipsius sollicitudines continuæ, ipsius afflictiones, ipsius mors, effusus ipsius pro salute nostra sanguis? jam divina ipsius erga nos charitas non minor est in cælo, quam fuerit in terris: sed potius credendum est, ipsam ratione quâdam incrementum sumpsisse in cælis, cum videamus, quòd omnia vulnera sua aperta portaverit in cælum, ut illa Patris sui exponeret oculis, velut totidem ora facunda, quæ incessanter per-

orent pro salute nostra, quæque cessabunt nunquam potenter divinam urgere misericordiam, quoad obtineant pro nobis, quæ postulaverint.

Sed tandem sanctus Joannes, qui affirmat ipsum esse Advocatum nostrum, eodem tempore ipsum vocat *Jesum Christum justum*. An aget contra justitiam? semper verum est, nos esse peccatores, hoc distiteri nemo potest; & velut tales meritò privamur vitâ æternâ, & ad mortem condemnamur æternam. Verum <sup>Jesus Christus</sup> est; sed adjungit, quòd sit *propitiatio pro peccatis nostris*. <sup>supplet per seipsum,</sup> Ecce tibi <sup>quod deest</sup> eximiam prærogativam potentis Advocati nostri, qui <sup>bono nostro juri.</sup> supplet ex proprio suo, quòd deest bono juri pauperum clientum suorum. Verum est, nos non mereri vitam æternam; sed ipse hanc meretur pro nobis. Verum est, æquum non esse, ut dentur nobis præmia pro iis, quæ meremur suppliciiis; sed æquum est, ut ipsi nostra concedatur gratia, nobisque dentur præmia, quæ ipse est meritis pro nobis.

O Jesu, mi amantissime Advocate! caderem causâ meâ absque te, perirem in æternum, nisi curares tu commoda mea. Sed quàm certa & securo teneo illa, dum sunt in manu tua. Tu me amas, de hoc dubitare non possum, tuque vitam vis mihi æternam:

ternam: divinus Pater tuus amat te, de hoc quoque certus sum, nihil denegare is tibi potest, quidquid postulaveris ab ipso pro me. Jam tu incessanter postulas ab ipso, ut exhibeat mihi misericordiam; sacra vulnera tua loquuntur pro me; adorandum cor tuum, ipsius apertum oculis, sollicitat ipsum immenso cum amore, quem ostendit mihi, dum terebrari & perforari pro me voluit in Cruce. Nonne bene sperandi habeam ansam, quod non obstantibus meis mi-

seriis nunquam sim periturus. Loquere Cor amabile Redemptoris mei. Et quia pro me loqueris, patere, ut cor meum uniat se tecum, ut dicat in te, per te, & tecum, quidquid dixeris in favorem meum. Mirè oblector vobis, adoranda vulnera adorandissimi Salvatoris mei; nolo amplius occupari alio, nisi dolorosâ hâc passione, quæ vos produxit. Argumentum hoc erit trium sequentium Consultationum.

## CONSULTATIO XXVI.

*Christianus omnem suam collocare debet Consolationem in Meditatione Passionis Jesu Christi.*

Sanctus Carolus Borromæus præparat se ad mortem per meditationem Passionis Jesu Christi.

**M**agnus Cardinalis sanctus Carolus Borromæus, sentiens appropinquare finem suum, è vehementissimo divini ignis, quo consumebatur cor ipsius, incendio, & novis zeli sui ardoribus, exhaurientibus residuum pretiosæ hujus vitæ, quam totam consecraverat divini amoris servitio, eo nomine vice ultimâ in suam se contulit solitudinem, seque disposuit ad magnum iter æternitatis suæ in monte Varallo, ubi sculptis imaginibus Dominicæ Passionis mysteria ad vivum repræsen-

tantur in diversis facellis, quorum quodlibet exponit oculis specialem patientis & morientis Salvatoris effigiem: eòquod crederet, quòd, postquam amabilem Salvatorem suum pedetentim secutus fuerat toto decursu vitæ suæ, hanc melius concludere non posset, quàm implendo animum suum idæis ac imaginibus, & cor suum affectibus & desideriis sanctissimæ mortis ipsius.

Cùm aliquatenus imitari vellemus pietatem sanctissimi hujus Præfulis, ad finiendum totum, quod arripimus iter: adhiben-

Rrrr 3

do